



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio II. Vtrùm Vnum supra ens, addat aliquid positivum, vel non?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)



QVÆSTIO II.

*Verum unum supra ens addat aliquid positi-
uum vel non.*

SECTIO I.

Sententia Adversaria ponitur.

P RIMA sententia docet unitatem ad-
dere enti aliquid positivum, solum
per rationem distinctum ab ente, ita
P. Hurt. disp. 4. met. sect. 1. subsect. 1. Pa-
ter Vasquez. tomo 2. in primam partem, disp. 128.
cap. 2. & probatur sic primo in Deo, quia multi-
tudo cui opponitur unitas Dei est negativum; er-
go unitas est quid positivum. Antecedens sic de-
monstratur, quia multitudo, aut pluralitas cui
opponitur unitas Dei, est pluralitas impossibilis:
sed pluralitas impossibilis est quid negativum:
ergo multitudo cui opponitur unitas Dei est
quid negativum. Minor est certa, quia possibile,
& impossibile opponuntur tanquam positivum,
& negativum: sed impossibile non est positivum,
quia est repugnantia totius esse: ergo est nega-
tivum: sed multitudo cui opponitur unitas Dei
est multitudo impossibilis: ergo est negativum
quid, talis pluralitas.

2 Maior illa sic probatur, quia multitudo seu
pluralitas, cui opponitur unitas Dei, est plurali-
tas Deorum, seu plures Dij: atqui pluralitas Deo-
rum est omnino impossibilis: ergo pluralitas, cui
opponitur unitas Dei, est omnino impossibilis.
Minor illa sic probatur, quia quando vnum op-
positum est omnino necessarium, alterum imme-
diate oppositum est omnino impossibile: sed uni-
tas Dei quæ immediate opponitur pluralitati
Deorum, est omnino necessaria: ergo pluralitas
Deorum est omnino impossibilis: sicut v. g. quia
mors, & vita opponuntur immediate, & vita Dei
est omnino necessaria, mors Dei est omnino im-
possibilis.

3 Prima consequentia est certa, quia quando
vnum oppositum immediatum contradictorium
est negativum, alterum est positivum: sed unitas
contradictorie opponitur pluralitati, quæ est ne-
gativum quid: ergo unitas est quid positivum, si-
cut, v. g. quia homo immediate opponitur non
homini, & non homo est negatio, homo debet
esse positivum.

4 Confirmatur, divisio est separatio, sed separa-
tio est negatio unionis: ergo divisio est negatio;
sed indivisio immediate opponitur divisioni: er-
go indivisio est quid positivum; tunc sic, unitas
constituitur formaliter per indivisionem: sed in-
divisio est formaliter quid positivum: ergo uni-
tas constituitur formaliter per quid positivum,
& non per negativum.

Secundo principaliter probatur hæc senten-
tia, ens ut sic est vnum formaliter: sed non po-
test esse vnum per negationem: ergo non consti-
tit unitas formalis formaliter in negatione. Ma-
ior est evidens, quia unitas est attributum entis,
& sic debet comitari illud in quocumque statu.
Probatur minor, si unitas entis ut sic consisteret

in negatione, negaret aliquem terminum positi-
vum, sed nullum terminum positivum potest ne-
gare illa unitas: ergo non est negatio. Probatur
minor, omne illud quod dicit negationem rea-
lem alicuius, distinguitur ab illo realiter: sed ens
ut sic præcisum ab omnibus entibus realibus à
nullo ente positivo distinguitur realiter: ergo
non dicit negationem realem alicuius entis po-
sitivi. Maior est evidens: minorem probavi *supra*,
& *infra* disp. 6. contra Scotum, & eam admit-
tunt omnes Doctores, cum quibus nunc pugna-
mus.

Et si dicas, quod ens dicat negationem multi-
tudinis subiectivæ, scilicet duarum, per quas po-
test contrahi, & dividi; contra est, & meo videri
manifeste primo: ergo unitas entis est ens ratio-
nis. Patet consequentia, per vos ens constituitur
in ratione vnius, per illam negationem: sed ne-
gatio quam dicit ens suorum inferiorum est so-
lum ficta per rationem: ergo ens constituitur in
ratione vnius per aliquid rationis. Maior est so-
lutio Adversariorum: minor est evidens, quia si
illa negatio non esset rationis, esset realis, & sic
ens realiter distingueretur à suis inferioribus,
quod est absurdum: consequentia legitime infer-
tur, & est contra illos, & contra ipsam veritatem,
quia unitas, quæ est attributum entis non est ens
rationis, quia à parte rei quodlibet ens ante
quamcunque fictionem intellectus est vnum, v. g.
Deus ante quacumque fictionem intellectus est
vnius formaliter, ut fides catholica docet, quia
quodlibet ens à parte rei est indivisum à se, vel
in se: ergo est vnum formaliter: ergo unitas entis
non est aliquid rationis: sed illa negatio quam
ponunt adversarii in ente ut sic, est negatio ra-
tionis: ergo non potest consistere unitas entis
ut sic in negatione: ergo consistit in aliquo posi-
tivo quod comitetur ens ut sic.

Contra secundo, si unitas entis ut sic consi-
steret in illa negatione suorum inferiorum, non
esset vna formaliter inferiora: sed hoc est ab-
surdum: ergo &c. probatur maior, inferiora entis
sunt individua quæ dantur à parte rei: sed nul-
lum individuum dicit negationem inferiorum:
ergo inferiora entis non essent vna formaliter.
Maior est evidens, ut probatum est in *Logica*,
quia à parte rei solum dantur individua; minor
etiam est evidens, consequentia patet, Unitas
transcendentalis per vos est negatio inferiorum,
& duarum per quas potest contrahi, aliqua ratio:
sed individuum non dicit huiusmodi negatio-
nem: ergo non dicit unitatem: ergo unitas non
est attributum entis. Patet consequentia attri-
butum entis debet convenire omnibus indivi-
duis entis: sed illa unitas quam fingunt Adversa-
rij non convenit individuis omnibus entis: ergo
illa unitas non est attributum entis. Maior est
evidens, quia proprietas rei prius convenit indi-
viduis, quam rationi communijimo ideo cognos-
cimus illam in ratione communi, quia convenit
omnibus individuis.

Tertio, in ente composito eius indivisio est
formaliter vno: ergo indivisio est conceptus po-
sitivus: ergo, & unitas est positiva: probatur an-
tecedens, indivisio duarum partium est ratio
formalis per quam illæ sunt non divisæ: sed
vno est ratio formalis per quam partes sunt
unitæ: ergo est ratio formalis per quam par-
tes sunt indivisæ. Patet consequentia, quia
idem

Quæst. II. Quid addat Vnum supra ens. 225

idem est duas partes esse unitas, & non esse divilias.

9. Confirmatur, quia carentia unionis est formaliter divisio partium: ergo unio est formaliter indivisio partium. Probatur consequentia, quia unio, & carentia illius præstant effectus contradictorios: sed carentia unionis facit rem formaliter divisam: ergo unio facit rem formaliter non divisam: ergo indivisio formaliter importat positivum quid, nempe unionem.

10. Vltimo sic probatur: Deus per suam essentiam positivam habet formaliter indivisionem in se: ergo indivisio non est conceptus negativus, sed positivus: antecedens probatur, quia unus conceptus simplex, carens omni partium compositione, seipso est indivisus, & indivisibilis: sed conceptus Dei per suam entitatem positivam, caret omni partium compositione: ergo est unus per suam ipsam entitatem.

11. Vergetur multitudo est simpliciter posterior unitates: sed si vnum importaret formaliter negationem, esset simpliciter multitudo prior unitatibus: ergo maior est certa, quia multitudo supponit partes tanquam constituentes illam: hæ autem partes unitates sunt. Minor patet, negatio est simpliciter posterior forma quam negatio, cum habitus sit simpliciter prior eius privatione: possitque ab illa cognosci sine hac: hæc vero minime absque habitu: sed unitas per se formaliter dicit negationem multitudinis: ergo est simpliciter posterior multitudine.

12. Et si dicas unitatem esse negationem multitudinis non formaliter, sed solum fundamentaliter sumptæ: Hoc est multitudinis in quantum dicit solum hanc, & illam entitatem.

13. Contra, quia unitas non negat hanc vel illam entitatem, alioqui unitas quæ est in Petro, & Paulo, esset negatio ipsius Petri, & Pauli, quod est absurdum.

14. Dices unitatem non esse formaliter negationem seu privationem entitatum secundum rationem entis, sed secundum rationem huius, & illius simul.

15. Verget iterum Vasquez, quia esse unitatem quandam negationem huius, & illius entitatis simul est esse negationem seu privationem illarum entitatum, quatenus divisæ sunt, & plures formaliter, seu multitudo: ergo unitas negat multitudinem formaliter: ergo non negat solum multitudinem fundamentaliter.

16. Vergetur vltimo, ex diversis proprietatibus unitatis prima est suscipere magis, & minus: nam illud dicitur magis vnum, quod est tale per simplicitatem, & illud appellatur minus vnum, quod est tale per plurimum compositionem, & unionem: sed si unitas esset negatio non susciperet magis, & minus: ergo.

17. Secunda proprietas est quod sit fundamentum relationis identitatis, relatio vero non fundatur in negatione, quia positiva est. Tertia est esse mensuram primam multitudinis propter quod Arist. 10. met. capit. 9. tex. 21. constituit relationem mensuræ inter vnum, & multa: sed si unitas esset negatio, mensura esse non posset: ergo.

R. P. Ioseph de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

SECTIO II.

Nostra sententia ponitur, & probatur.

SUBSECTIO I.

Authoritate Aristotelis probatur.

Conclusio: vnum non addit positivum supra ens, sed negationem divisionis formalis, quæ indivisio dicitur: hæc est communior sententia inter Thomistas, & Societatis Iesvs Doctores, ut videre est in Patre Suarez, & reliquis.

Hanc conclusionem tradit Arist. multis in locis, sed præcipue lib. 5. met. vbi ait: *Vnum enim quæcumque divisionem non habent, quæ ratione eam non habent, eamque unam dicuntur, ut si quatenus divisionem non habet homo, unus homo: vbi expresse explicans Arist. formalitatem vnus, ait esse negationem divisionis: ergo formaliter vnus est negatio, & non positivum.*

Dicunt Adversarij illam negationem divisionis non esse formalem negationem, sed positivum explicatum per negationem.

Sed contra hoc totum instat clarissime ipse Arist. toto libro 10. met. cap. 6. vbi sic ait: *Opponitur autem vnum, & multa secundum plures modos, quorum vni vnum, & multitudo, ut divisum, quod quidem ens divisibile, & divisum multitudo quadam dicitur, non autem divisum vnum: vbi ait oppositum vnum, & divisum tanquam positivum, & negativum, & ideo nomine positivo divisum significat, & nomine negativo vnum; divisum enim positivum est, quia affirmativum est, non vero divisum negativum est, & ideo particula illa non afficitur, quæ negationem significat, sed non divisum est vnum, & divisum est pluralitas: ergo vnum est negativum ex sententia Arist. & non positivum explicatum per negationem.*

Quod autem ex sententia Aristotelis, divisum sit positivum patet, quia copulat, & coniungit, divisibile, & divisum explicat per divisibile: sed divisibile est positivum; ergo divisio per quam explicatur divisibile erit positivum.

Quod autem ita contingat probat Arist. his verbis: *quare ratione prior multitudo in divisione aut in indivisibili, vbi ait multa esse priora in divisio seu vno, sed negativum non est prius positivo; imo contra prius positivum est prius negativo, secundum illud evidens axioma, sumptum ex Arist. receptumque ab omnibus Doctoribus; prior enim est forma quam negatio ipsius, & habitus quam privatio: ergo multitudo seu divisum, quod prius est quam vnum formaliter, & non materialiter, si quidem est prius non divisio, quod est formale vltimum illius: ergo multitudo, seu divisum formaliter erit positivum, & vnum formaliter erit negativum, quia quod est negativum est posterior positivum.*

Quod confirmat Divus Thomas lect. 4. super 2. illa verba Aristotelis, quæ confirmatio est nuda, & mera explicatio ex Arist. explicatio per hæc verba traditur à Divo Thoma: *sed cum diceret Philosophus quod vnum, & multitudo opponuntur ut indivisibile, & divisibile, quæ opponuntur secundum privationem, & habitum: explicans autem in quo sit privatio ex illis oppositis: sic ait, oppositio eorum quæ est secundum privationem, & habitum est principium*

piu oppositionis, quae est secundum contrarietatem: sic igitur unum non significat privationem puram, non enim significat ipsam solam indivisionem, sed ipsum ens indivisum: sic ille. Vbi asserit unum dicere indivisionem quae est negatio, nihilominus tamen non posse dici puram negationem aut privationem, quia praeter indivisionem dicit ens, ac si dicat unum esse mixtum ex negatione, & positivo, & ideo non posse esse puram negativam, quod sine dubio esset, si solam indivisionem importaret unum, quia indivisio ex se, & ut separata ab ente, & ut praecisa ab eo, est negatio: ergo negatio ultimo constituit unitatem, quia indivisio quae constituit illam, negatio est ex verbis, & mente Arist. & Divi Thom. Vnde secundum hos, privatio seu negatio datur in vno, & non in multitudine, quod clare patet ex verbis sequentibus Divi Thomae, in quibus opponit sibi objectionem, & solvit illam, quia enim dixerat quod unum se habet ad multitudinem ut indivisum ad divisum, & indivisum est privatio divisi, cum privatio sit posterior habitu, & forma videtur sequi quod unum sit posterius multitudine, quod est contra id quod supra dixerat, cum docuit unum esse principium multitudinis, ac proinde prius illa. Ecce obiectio aliam ponit contra se, & respondendo ad primam, & secundam docet nostram veritatem, verba enim Divi Thomae, quibus hoc executioni mandat, haec sunt: *Dubitatio secunda oritur circa hoc quod dicit, nimirum quod multitudo est prior ratione quam unum; cum enim unum sit de ratione multitudinis, eo quod multitudo non sit aliud, quam aggregatio unitatis, si ipsum unum est posterius quam multitudo, sequitur quod in ratione unius, & multitudinis est quidem circulus: sic ille. Vbi ponit objectionem ad quam, & ad superiorem sic respondet.*

26 *Dicendum igitur quod nihil prohibet esse prius, & posterius eodem, secundum diversa in eo considerata, in multitudine enim potest considerari, & quod multitudo est, & ipsa divisio, ratione igitur divisionis prior est quam unum; nam unum est quod non dividitur, secundum autem quod est multitudo, cum multitudo dicatur aggregatio unitatum est posterius unitate diviso, quae praesupponitur ad rationem unius secundum quod convertitur cum ente: non est divisio quantitatis, sed est divisio quam causat contradictio, prout hoc, & illud dicuntur divisa, ex eo quod hoc non est illud: sic ergo primo intellectu nostro cadit ens, & deinde divisio, & post hoc unum, quod divisione privatur, sic ille. Ex quibus omnibus verbis evidenter sequitur unum esse posterius multitudine ratione indivisionis unius, & divisionis multitudinis, quia ipse Angelicus Doctor asserit, indivisionem esse carentiam divisionis, quia ut ipse inquit carentia est posterior forma, & privatio posterior habitu.*

27 *Quod autem haec interpretatio, quam tradit Divus Thomas sit legitima, & maxime quadret verbis Aristotelis ipsiusque menti, patet ex verbis clarissimis ipsius Philosophi cap. 6. eiusdem lib. 10. ubi loquens de varijs oppositis, & de oppositione, praecipue inter divisionem, & indivisionem explicans quomodo indivisum opponatur diviso, & utrum illa indivisio sit negatio, ita ait: Prima vero contrarietas habitus est privatio, & paulo post quasi dubitans sic ait: quomodo opponuntur unum, & multa, quam dubitationem his verbis resolvit: Restat igitur aut unum ut negationem opponi, aut ut privationem multitudini: quid*

evidentius, quid clarius ad nostram sententiam confirmandam poterat inveniri: ubi absolute, ac simpliciter docet Philosophus indivisum, aut non divisum opponi diviso, vel multitudini ut privationem positivo: sed indivisum ut tale, est unum formalissime: ergo unum formalissime in sententia Aristotelis est negativum, ac proinde unum constituitur ultimo, & formalissime per negationem.

Hanc sententiam quam ex mente Arist. protulerat Divus Thom. explicando eius verba ex propria sententia, & mente docet ipse Angelicus Doctor non solum in *met.* sed etiam 1. p. *tract. de unitate Dei*, & pene in omnibus locis, ubi de unitate loquitur, quae non refero, quia de hoc nulla est dubitatio apud Doctores, cum etiam ipsi Adversarii doceant Divum Thomam semper affirmasse unitatem constitui formaliter negatione.

SVBSECTIO II.

Prima ratio principalis proponitur.

29 *Quia unum debet converti formaliter cum ente, & aequaliter praedicari de illo: sed si formaliter unum esset positivum, non posset converti cum ente, nec praedicari de illo aequaliter formaliter: ergo unum non dicit positivum; sed negativum formaliter. Maior evidens est ex suppositione, quod unum est attributum, seu passio entis (haec autem suppositio postea demonstrabitur) quia omnis passio seu attributum convertitur cum illo, cuius est attributum, & aequaliter praedicatur de illo, v. g. risibile convertitur cum homine, quia est verum dicere, est homo: ergo risibile: est risibile; ergo homo; & quia praedicabile est attributum univiersalis, convertitur cum univiersali, & praedicatur aequaliter de illo, clarius, & efficacius exemplum, quia infinita perfectio seu omnipotentia est attributum Dei, est verum dicere est omnipotens: ergo Deus, est Deus: ergo omnipotens: ratio à priori evidens est; quia attributum seu passio dimanat, vel quasi dimanat, adaequate afficiendo, & denominando totam entitatem rei, & distinguendo adaequate accidentaliter, vel secundario rem, cuius est attributum seu passio à quacumque alia, & ideo solet dici exercitium adaequatum illius in quantum tale est, ut v. g. risibilitas est exercitium adaequatum hominis, in quantum homo est reduplicando supra rationalitatem: unde necessario sequitur quod praedicetur aequaliter de illo, de quo praedicatur differentia, cuius exercitium est, & convertatur cum illo.*

Minor praecipua sic probatur, quia si unum formaliter esset positivum, necessario esset essentialiter inferius ente, sed inferius essentialiter respectu alicuius non convertitur cum illo, nec adaequate praedicatur de ipso: ergo si unum esset positivum formaliter non converteretur cum ente, nec adaequate praedicaretur de ente. Minor haec est evidens, ideo enim ens non convertitur cum Deo vel homine, quia sunt inferiora illius, & animal cum equo propter eandem rationem, & ratio evidens est, quia superius magis late patet, quam unumquodque inferius, unde non potest coaequari inferius cum superiori, quia illud quod aequatur alicui nec excedit aliud, nec exceditur ab illo, & ideo mons non aequatur fornica, quia excedit.

Quæst. III. Quid addat Vnum supra ens. 227

excedit formicam, & idem est de creatura respectu Dei, si comparantur in perfectionibus: sed illud quod magis late patet quam aliud excedit illud respectu cuius magis late patet, v. g. quia intellectus magis late patet, quam homo intelligibilis, excedit illud in esse obiecti, & homo non æquatur in illa ratione cum intellectu, sed omnis ratio superior magis late patet, quam vnumquodque inferius diuisum, siquidem extra illud ad aliud inferius extenditur, ut illi communicet suum esse: ergo inferius non potest converti cum superiori, æquari cum illo, & adæquate prædicari de illo.

31 Maior sic demonstratur, quia ratio illa quæ abstrahitur ab aliquo per convenientiam cum alio est superior respectu illius à quo abstrahitur, sed si vnum esset positivum ab vno, quatenus convenit cum alijs positivis, abstraheretur ratio entis: ergo si vnum esset positivum formaliter, esset inferius essentialiter respectu entis. Maior ista sic probatur clarissime, ideo, v. g. substantia intellectiva ut sic, est superior essentialiter respectu hominis, & Angeli, quia substantia intellectiva ut sic est ratio abstracta ab Angelo, quatenus convenit essentialiter cum homine in ratione substantiæ intellectivæ; item ideo animal ut sic est superior essentialiter respectu hominis, quia animal est ratio abstracta ab homine, quatenus convenit essentialiter cum brutis; & ratio evidens est, quia omnis ratio quæ abstrahitur ab vno, quatenus convenit cum alio in tali ratione, est communis illis duobus convenientibus in tali ratione, ac proinde constituit essentialiter non solum vnum ex illis, sed duobus, vel pluribus, & sic extenditur essentialiter utrique, & communicatur non vni vel alteri ex ipsis, sed omnibus quæ convenient essentialiter in tali ratione, & de illis omnibus essentialiter prædicatur: sed ratio communis multis essentialiter constitutiva illorum, & quæ non de vno solo, sed de multis illis prædicatur, est superior illis omnibus: ergo ratio illa quæ abstrahitur ab vno, quatenus convenit cum alio est ratio superior illi, à quo abstrahitur, & est universalis respectu illius, nam illud est universale respectu alicuius, quod prædicatur de illo, & de alijs convenientibus cum illo formaliter: sed ratio communis abstracta ab aliquo, quatenus convenit cum alijs, prædicatur de illo, & de alijs à quibus abstrahitur; ergo omnis ratio communis multis abstracta ab illis debet esse superior, & universalis respectu illorum, cum hæc ratio evidens sit, quia omnis ratio communis multis est superior respectu illorum, cum hæc superioritas non sit potestatis vel dominij, nec maioris perfectionis, & excellentiæ; perfectior enim est Deus ente ut sic, & homo perfectior animali ut sic, & nihilominus sunt inferiores: sed est superioritas communicationis, seu communis, quia est ad communicandum suum esse, & ad hoc ut sit commune multis: sed omnis ratio abstracta propter convenientiam ab aliquibus, est communis illis à quibus abstrahitur: ergo omnis ratio abstracta propter convenientiam est superior superioritate communicationis; quod clarus videtur in hoc quod omnis ratio abstracta ab aliquibus propter convenientiam communicatur unicuique illorum, ita ut in communicatione vagetur extra illud ad aliud, unde habet universalitatem respectu illorum: sed illud vagari ex vno ad aliud, & esse commune non solum vni,

R. P. Ildph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

sed alteri, est superioritas universalis, & communis, de qua loquimur: ergo.

Minor illa in qua est tota difficultas sic probatur, quia ens est positivum ut sic, quia positivum, & ens ut sic sunt synonyma, sed positivum ut sic abstrahitur ab omni positivo, sicut ens ut sic ab omni ente, & à quolibet; & ab aliquo ente, quia est summa, & ultima ratio entis, sicut animal ut sic abstrahitur ab omni animali; & à quolibet, & quocumque, & aliquo animali, sed si vnum est positivum, est aliquod positivum, (& non omnia positiva cum non sit verum, &c.) quod convenit cum alijs positivis, v. g. cum modo increato, cum rationalitate hominis in esse positivum, cum vero, & bono, quæ in vestra sententia sunt positiva: ergo ratio entis seu positivum ut sic, præcinditur à ratione vnius positivi propter convenientiam cum cæteris positivis: ergo ratio positivum ut sic, est superior respectu vnius positivi. Præterea quia loquendo de hoc positivo, quod dicit vnum de illis, prædicatur ens ut sic, seu positivum ut sic, & transcendit illud ens ut sic, quia ens ut sic, seu positivum ut sic, transcendit omnia entia; sed ita transcendit illud, & prædicatur de illo, ut in prædicatione, & transcendentia vagetur extra illud ad alia positiva: ergo est quid commune, & superius superioritate communicationis respectu vnius formaliter positivi, unde, & universalis.

Declaratur hoc efficacius, & evidentius, quia positivum vnius non est ens ut sic formaliter, cum ens ut sic sit essentia formaliter, & vnum sit attributum formaliter, essentia enim, & attributum non sunt idem formaliter, quia attributum consideratur quasi posterius, essentia autem quasi quid prius, nec potest esse supra ens ut sic, quia ens ut sic est ultima, & suprema ratio omnium entium, & positivorum abstracta, & si esset, sequeretur idem inconveniens, quod vnum non converteretur cum ente, quia superius cum inferiori non convertitur nec potest esse aliud ens ut sic; hoc enim falsissimum est, quia nunquam dantur duo conceptus obiectivi abstracti ut sic, distincti eiusdem rationis, quia non datur aliquid in ipsis per quod distinguatur, cum vnumquodque includat omnem rationem illius generis (& hæc est demonstratio, quare in metaphysica non admittatur duplex Deus) sicut, v. g. non dantur duo conceptus animalis ut sic, duo homines ut sic, duæ substantiæ ut sic, duæ quantitates ut sic, &c. quia iam duplicarentur prædicamenta, quod est absurdum, cum frustra fiant per plura quæ possunt fieri per pauciora, & ratio evidens à priori est, quia vnaquæque ratio ut sic, v. g. animal est ratio abstracta ab omnibus animalibus, ita ut nullum sit animal à quo non abstrahatur animal ut sic, unde si ab omnibus animalibus abstrahitur, à quo abstrahatur aliud animal ut sic; alias iam ultra omne daretur aliud, quod ita ridiculum esset, ut erat titulus illius libri, qui inscribatur. *Tractatus de omnibus rebus, & quibusdam alijs*: ergo falsum est dicere quod dentur duo conceptus entis ut sic: ergo si illud positivum quod est ens, neque est supra ens ut sic, neque est ens ut sic formaliter, neque aliud distinctum ens ut sic erit aliud quod inferius entis formaliter, quia inter hæc non datur medium, v. g. quia leo ut sic, non est supra ens ut sic, neque ens ut sic, nec aliud distinctum ens ut sic ab ente ut sic, necessario est aliud quod ens inferius entis ut sic.

ff 2 Quod

34 Quod ita videtur quia omne ens participat esse ab ente ut sic, quia est suprema ratio entis, sicut omnis homo participat ab homine ut sic, & illud quod participat ab alio esse, necessario est inferius illius à quo participat essentialiter, sicut quia in genere causæ efficientis essentialiter creaturæ participantes se à Deo, omnes creaturæ sunt essentialiter inferiores respectu Dei: ergo similiter in metaphysica participatione, quia adamas participat esse à gemma ut sic, erit inferior essentialiter respectu gemmæ ut sic metaphysicæ: ergo omne ens quod participat ab ente ut sic, erit inferius respectu entis ut sic; sed positivum vñtus quatenus aliquod ens participat ab ente ut sic, ergo est inferius respectu entis ut sic, ac proinde ens ut sic erit universalius, erit communius, & superius respectu vñtus: ergo non prædicabitur æqualiter de vno, nec convertetur cum illo; ideo enim Deus non convertitur cum ente ut sic, nec ens ut sic æquate prædicatur de Deo, quia Deus quatenus inferius metaphysice respectu entis, participat esse ab ente ut sic: ergo vnum non est attributum entis, quia omne attributum convertitur cum essentia cuius est attributum, & æquate prædicatur de ipsa.

35 Dices positivum ut sic non esse synonymum respectu entis ut sic: sed potius distingui ab illo formaliter, non solum ex parte nominis: sed etiam ex parte obiecti.

36 Sed contra primo, quia per vos positivum prædicatur de ente, & sic est vera hæc propositio ens ut sic, quatenus tale, non est negativum sed formalissime positivum.

37 Tunc sic vel positivum ut sic prædicatur de ente ut æquale, vel ut superius, vel ut synonymum (quia ut inferius non potest prædicari de illo in directa prædicatione, & ideo hæc non est bona prædicatione, animal est homo, substantia est vivens, ens est substantia, quia inferiora de superioribus prædicantur) unde inter illa tria mēbra non datur medium, quare si positivum prædicatur de ente necessario debet aliquo modo ex illis prædicari de ipso; sed positivum non prædicatur ut æquale de æquali, neque ut superius de inferiori: ergo ut synonymum: illa prima propositio est evidens, quia ens ut sic quatenus abstrahitur ab omnibus entibus inferioribus, & ut opponitur nihilo, vel non enti, non est remotio aut carentia positivi, neque est negatio entis ut sic, alias esset suum contradictorium, ac per consequens idem esset, & non esset simul, quod est omnino impossibile, quapropter necessario est affirmatio essentia realis positivæ: ergo ens ut sic est positivum: ergo prædicatur positivum ut sic de ente ut sic, præsertim quia omnia entia positiva particularia sunt essentialiter entia, & positiva, v.g. angelus, Deus, & homo, ita ut nullum particulare repetitur positivum à parte rei quod non sit ens, & nullum ens quod non sit positivum; nam quodcumque positivum, quatenus tale est intelligibile, verum, & bonum, distinguitur à nihilo essentialiter, & à negatione quæ includitur intra nihilum, & ex alio capite est aliqua essentia: ergo homo, Angelus, Deus, & quodcumque positivum, quod reperitur in tota latitudine rerum vel modorum est ens, & quodcumque ens est positivum: ergo conveniunt essentialiter quomodocumque concipiuntur, non solum in ratione entis, sed etiam essentialiter in ratione entis positivi: sed à quacumque convenientia in-

trinseca potest abstrahi aliqua ratio communis secundum id in quo conveniunt illa à quibus abstrahitur, talis ratio: ergo ens illud quod præscinditur ab illis adæquate, & essentialiter est ens positivum, quia ratio abstracta adæquate debet esse adæquate convenientia inferiorum; ideo enim homo ut sic abstrahitur à Petro, & à Paulo non solum ut sic animal, sed etiam animal rationale, quia Petrus, & Paulus à quibus abstrahitur non solum conveniunt in ratione animalis; sed etiam in ratione hominis, qui est animal rationale, sed omnia quæ sunt à parte rei entia, non solum sunt entia quomodocumque, sed necessario positiva, & conveniunt non solum in ratione entis, sed etiam in ratione positivizimo quia sunt entia, sunt positiva, & quia positiva sunt entia, neque possunt concipi ut simpliciter, & absolute entia, quin concipiantur ut positiva, hoc est ut affirmativa essentia; & ut immediate opposita negationi essentia; & e contra, quia sunt positiva absolute debent concipi, ut immediate opposita nihilo, ac proinde ut entia: ergo ratio quæ adæquate abstrahitur ab illis, non solum est ens, sed potius ens positivum: ergo positivum prædicatur de ente.

Prima pars minoris principalis sic demonstratur, quia vnum ut vnum formaliter, quatenus distinguitur ab ente, est positivum; item ipsum ens ut distinguitur ab vno etiam est positivum, & ex alio capite bonum, & verum, quatenus distinguitur ab vno, & ab ente sunt positiva: ergo conveniunt intrinsece in ratione positivi ut sic: ergo ratio positiva ut sic abstrahitur ab ente ut sic, quatenus convenit cum vno vero, & bono, quæ formalissime sunt positiva sicut ens, & distincta inter se formaliter: sed ratio abstracta ab aliquo distincta ab alijs secundum quod cum alijs convenit, non est æqualis respectu illius à quo abstrahitur: sed potius superior propter rationes in hac principali ratione supra positas: ergo ratio positivi ut sic non est æqualis cum ente ut sic: sed potius superior respectu entis ut sic: Sed ex alio capite non potest esse superior respectu entis ut sic, ut nunc probabo demonstrando secundam partem minoris: ergo supposito vestro placito videlicet, quod omnia attributa entis sint positiva, sequitur quod idem sit, & non sit, quod est omnino impossibile; ne ergo hæc dicantur, affirmandum est omnia illa non esse positiva, ut distincta ab ente.

Secunda pars illius minoris sic demonstratur, 39 videlicet quod ens non sit inferius respectu positivi, nec positivum superius respectu illius, quia illud quod vos dicitis esse superius respectu entis ut sic, est subiectum in directa prædicatione entis, v.g. positivum ut sic est ens: sed de nullo superiori potest prædicari directe inferius illius: ergo positivum ut sic de quo prædicatur ens ut sic directe non est superius respectu entis ut sic.

Maiores sic probatur, quia illud positivum ut sic, 40 est verum, quia est intelligibile; verum enim, & intelligibile synonyma sunt; de illo enim scientifice loquimur, & illud definimus essentialiter, & minimum est obiectum cognitionis divine, quia ut ratio evidens demonstrat, & fides catholica docet, asserendum est cognitionem divinam esse infinitam, ac proinde attingere cognoscitive omne quod sine fictione reperitur; positivum autem illud sine fictione est: ergo attingitur à cognitione divina vere sine falsitate: ergo vere intelligi-

Quæst. II. Quid addat Vnum supra ens. 229

tur à Deo, ac per consequens vere intelligibile erit: ergo verum transcendentaliter erit: ergo veritas transcendentalis de illo prædicatur directe: ergo de ipso positivo directe prædicatur ens, quia de quo prædicatur attributum in directa prædicatione, in eadem prædicatur essentia cum qua convertitur attributum: sed verum est attributum, quod convertitur cum ente vt sic, & verum prædicatur de positivo vt sic directe: ergo de positivo vt sic prædicatur ens directe: ergo iam positum vt sic est subiectum prædicationis entis vt sic directe.

41 Item, quia positum vt sic non est nihil, alias esset negatio universalis totius esse, & sic iam non esset positum vt sic, sed potius esset contradictorium positivi, vnde idem esset, & non esset; esset, quia est positum; non esset, quia esset negatio. Deinde, quia positum vt sic dicitur de Deo: ergo positum vt sic est aliquid: ergo ens, quod etiam probant argumenta omnia facta q. præced. contra Scotum, videtur ibi, quæ hic maiorem evidentiam ingerunt contra adversarios, quia asserunt non dari medium inter ens, & nihil, ita vt sint termini contradictorii ultimi, & universalissimi, supra quos non est alia ratio superior: ergo positum vt sic non est superius respectu entis vt sic, alias ens non prædicaretur de positivo.

42 Ex alio autem capite non est æquale enti vt distinctum ab illo, quia ipsum ens, quatenus distinguitur à positivo, & sub formalissima ratione entis, est etiam positum vt sic, quod supra probavi: sed non dantur duo conceptus obiectivi omnino similes, vt duo animalia vt sic, duæ substantiæ vt sic, duo homines vt sic, quod late demonstratum manet: ergo positum vt sic, quod non est inferius entis vt sic, nec superius respectu ipsius, neque æquale ipsi, vt distinctum ab ipso, erit æquale ipsi enti vt sic, vt synonymum entis, & hæc est consequentia illius syllogismi, vnde se habebunt ens vt sic, & positum vt sic, vt ens, & gladius, ex quo sequitur ens vt sic non habere attributum æquale sibi quod addat supra ipsum ens, positum distinctum ab ipso ente, quia iam darentur duo positiva vt sic distincta inter se; & omnino æqualia, quod est falsissimum, vt ex nuper dictis patet: vnde vt attributa entis sint distincta ab ente, & æqualia ipsi, non debent addere positum, sed negativum, quia si positum addit, erit inferius attributum, quia ens vt sic necessario est superius respectu omnis entis distincti ab ipso, ex respectu omnis positivi, quod aliquo modo differt ab ipso, sicut substantia vt sic necessario est superior respectu cuiuscunque substantiæ distinctæ ab ipsa, & quæ non est synonymum cum illa, quia abstrahitur à quacunque substantia distincta à substantia vt sic.

43 Ultimo arguitur contra solutionem nuper tractatam, quia si vnum esset positum distinctum ab ente, & ens esset positum distinctum ab vno; vnde colligeretur vnum esse attributum, & ens essentiam illius: si quidem si sunt duo positiva vt sic, similia omni modo sine aliqua diversitate inter se, tam perfectum hoc positum in ratione positivi, sicut aliud nulla potest dari ratio cogens ad asserendum hoc esse essentiam illud attributum, vel contra, v. g. si daretur duplex animal vt sic, aut duplex homo vt sic, nullus cordatus pos-

set dicere vnum ex illis esse essentiam, & aliud esse passionem, seu attributum, quia non datur maior ratio vnius quam alterius, & quia omnino similia sunt, non possunt æquiparari vt prius, & posterius, vt vnum sequens aliud, alias sicut tu asseris hoc esse prius, illud posterius, possem pro meo libito dicere è contra evenire: ergo falsum est dicere quod vnum sit positum, ne omnia illa absurda sequantur, quod idem sit superius, & non superius, idem sit æquale, & non æquale, vel quod procedatur in infinitum, vel tandem quod ens sit ratio ultima positiva, & abstracta ab omnibus positivis, & quod non sit talis, sed alia datur, nempe præcisa ab ente & vno, & quod non sit abstracta; siquidem de illa abstracta prædicatur iterum ens, quæ omnia absurda adhuc per rationem non possunt esse aut subtrahi, siquidem reducuntur ad illud principium: impossibile est idem simul esse, & non esse, quod etiam secundum rationem valet.

Respondent Adversarij dicendo positum 44 vnius quod superaddit supra ens aut enti non esse synonymum respectu entis vt sic, quia positum entis est aptitudo ad existendum; positum autem vnius est idem conceptus entis, propterea connotat divisionem actualem, vt oppositam sibi.

Sed hæc solutio iam manet labefacta, argumentis supra factis præcipue illis, quibus probatur ex sententia adversariorum sequi positum vt sic esse superius, & non superius, & c.

Secundo, quia illud positum, vt distinguitur ab ipso ente, vel repugnat existere vel non repugnat existere; non enim datur medium inter hæc duo contradictoria, quapropter necessario vnum ex illis debet verificari de positivo vnius propterea distinctum ab ente: sed non potest verificari de illo quod repugnet existere: ergo dicendum est non repugnare existere: ergo illud positum quod fingitis distinctum, non distinguitur ab ente, sed potius est ipsissima ratio entis. Vnde solum erit synonymum entis, quia solum nomen illius distinguitur à nomine entis.

Minor illa sic demonstratur, quia illud positum 46 essentialiter, & in suo primo conceptu adhuc quatenus per vos distinguitur ab ente, distinguitur etiam à chymera, & non est impossibilis, sed potius essentialiter possibile est: ergo non repugnat existere: ergo ens in suo primo conceptu essentiali, quia in sententia omnium, & præcipue in sententia ipsius Patris Hurtado non repugnare existere est definitio entis, & hæc definitio convenit omni non entis contradictorio, & immediato opposito non entis ita vt per illam definitionem solum distinguatur essentialiter possibile ab impossibili, ens reale à nihilo, & à non ente; vnde ens distinguitur à non ente, seu à nihilo, & ab impossibili, quia ens non repugnat existere, & impossibile seu nihilum repugnat existere.

Ergo si positum illud, quod addit vnum supra 47 ens distinctum ab ente in suo conceptu non est impossibile, & non est repugnans existere: ergo possibile: ergo illi convenit definitio entis vt sic: ergo est ens vt sic: ergo non distinguitur ab ente vt sic: ergo est ipsum ens vt sic; vnde erit synonymum illius, sed attributum non potest esse synonymum essentiae; sed distinctum ab illa: ergo nullo modo potest attributum entis esse positum; ergo est negativum.

- 48 Confirmatur, quia illud positivum vnius quod superaddit vnum supra ens abstrahitur ab omni positivo, vel non abstrahitur ab omni, sed ab aliquibus solum; si ab aliquibus solum: ergo minus extenditur quam positivum vt sic, quia positivum vt sic abstrahitur ab omni positivo; vnde extenditur, ad omne particulare positivum, sicut animal vt sic extenditur ad omne animal, quia abstrahitur ab omni animal: vnde homo vt sic vel equus vt sic non extenduntur tantum quantum animal vt sic, quia animal vt sic abstrahitur ab omni animali, & equus vt sic non abstrahitur ab omni animali, sed solum ab aliquibus animalibus, scilicet inhihibilibus, & ideo equus vt sic non potest equari cum animali vt sic, neque converti cum ipso, quia ex eo quod latius pateat animal vt sic, vniuersalius est quam equus vt sic, ratione cuius incapax est vt adaequetur cum equo vt sic, & sic impossibile est quod equus vt sic convertatur cum animali vt sic, & praedicetur adaequate de ipso: sed positivum vnius vt sic non abstrahitur ab omni positivo vt sic, sed solum ab aliquibus positivis, & positivum vt sic abstrahitur ab omni positivo: ergo positivum vt sic est vniuersalius, & latius patet quam positivum vnius vt sic, ac proinde positivum vt sic non converteretur cum positivo vnius vt sic, ac proinde positivum vnius non erit attributum positivi vt sic.
- 49 Si autem positivum vnius abstrahitur ab omni positivo sub omni latitudine positivi: ergo est positivum vt sic formalissime adhuc per rationem sine ulla distinctione à positivo vt sic: ergo non est attributum positivi vt sic, quia idem omnino non potest esse attributum sui ipsius, quia inter attributum, & essentiam debet dari distinctio: sed inter positivum vt sic, & positivum vt sic nulla potest dari distinctio, alias darentur duo positiva vt sic quod supra demonstravimus esse falsum: ergo positivum vnius non abstrahitur ab omni positivo: sed solum ab aliquibus positivis, scilicet à connotationibus oppositis divisioni, & sic erit aliquod positivum vt sic.
- 50 Tunc sic de illo positivo vt sic abstracto ab omni positivo interrogo, an sit indivisum in se an sit verum, seu intelligibile saltem à Deo, an sit bonum vel non; hoc secundum non potest dici, quia positivum vt sic ita dicitur indivisibile in se sicut ens: ergo est vnum vt ens, item non potest negari quod sit verum cum sit intelligibile à Deo ex eo quod actu intelligatur ab ipso, item est bonum quia est perfectio esse positivum, & ideo formaliter reperitur in Deo, in quo non reperitur nisi perfectio: ergo non potest negari quod positivum vt sic sit verum bonum, & vnum, praeterea non potest dici quod positivum vt sic repugnet existere: ergo sine dubio dicendum est positivum vt sic esse ens vt sic, praecipue quia ens vt sic est conceptus non negativus sed affirmativus: ergo positivus, & sic immediate opponitur negationi vt sic adaequate: ergo ens vt sic, & positivum vt sic non sunt duo conceptus obiectivi, sed vnus, & idem formalissime, & solum distinguuntur vt synonyma, sed positivum vt sic (vt iam demonstratum manet ex eo quod abstrahitur ab omni positivo, quia ab omnibus convenientibus in aliqua ratione potest abstrahi talis ratio: cum ergo omnia positiva quae reperiuntur in omni latitudine positivi convenient in ratione positivi, inde est quod positivum vt sic debeat abstrahi ab omni positivo, quatenus talis est

vniuersalius, & communius, ac proinde non convertitur cum aliquo positivo vt sic abstracto ab aliquibus positivis, & non ab omnibus, ac proinde non debet converti cum vno si positivum est: sed potius latius debet patere quam illud: ergo etiam ens vt sic non potest converti cum vno vt sic si est positivum: sed vere convertitur quia est haec vera praedicatio ens est vnum, vnum est ens: ergo necessario sequitur, v.g. num vt sic non addere supra ens aliquod positivum, sed necessario debet addere negationem, quae quia non est inferior entis vt sic, aut positivi vt sic non est inconvertibilis cum positivo, & ideo potest esse aequalis cum illo, & constituere attributum ipsius.

SVBSECTIO III.

Tertio oppugnatur particulariter, & in specie solutio Adversariorum.

Tertio sic insurgo contra connotationem illam oppositam divisioni, quam asserunt adversarij esse constitutivam vnius; nam connotatio illa vt ait Divus Thom. 1. p. q. 11. art. 1. in corp. & ad primum est quid negativum: ergo id quod constituit vnum formalissime est negatio, & non positivum propter assertum Divi Thomae, & ratio est, quia illa connotatio est connotatio multitudinis: sed connotatio multitudinis non connotat ipsam admittendo illam: ergo negando ipsam, & excludendo illam à se: ergo connotatio est negatio multitudinis.

Dicunt adversarij illam connotationem non esse exclusionem multitudinis positivae, & entitativae, sed formalitatis multitudinis, quae divisio dicitur ac proinde negatio est: ergo talis connotatio debet esse positiva, & non negativa.

Contra, quia illa divisio quae negatur per illam connotationem vel est divisio formalis, quae idem est, ac formalis carentia vniionis, aut est divisio quae est carentia identitatis inter illa quae plura dicuntur, vel solum est fundamentalis divisio quae solet vocari materialis entitatum multitudo, quae divisae dicuntur, & terminatae.

Si primum, vel vnum importat illam divisionem formalem vt rationem formalem constituendi suum conceptum, & distinguendi illum saltem inadaequate à conceptu entis, vel solum importat illam vt terminum extrinsecum alterius rationis formalis, quae formaliter constituit vnum, non primum, quia de ratione essentiali vnius esset importare carentiam vniionis, vel identitatis partium rei quam denominat vnum quod est constitutum multitudinis formaliter, quae opponitur vnitati, ac proinde ipsa vnitatis sibi opponeretur, & destrueret se ipsam, quod est omnino falsum.

Non secundum, quia ipse P. Hurt. nullā aliam, rationem formalem agnoscit quae superaddatur conceptui entis, & eius terminus esse possit talis divisio illa formalis, si secundum illud principale supra positum in illa distinctiva propositione dicitur: ergo vnum formaliter importat negationem; patet consequentia, quia vnum formaliter non importat ipsam multitudinem materialem vt constituentem formalissime ipsam vnitatem vt vnitatis est, quia vnum quae vnum est, formaliter dicit negationem multitudinis: ergo importat formaliter ipsam multitudinem materialem vt terminum negatum per illa, & sic formaliter dicit negationem

Quæst. II. Quid addat Vnum supra ens. 231

negationem vnius, quia quando aliquid pertinet ad aliquod ens vt terminus alicuius connotationis, relationis vel negationis, ipsa relatio connotatio, vel negatio talis termini pertinent ad tale ens ad quod pertinet vt terminus id de quo loquimur, v. g. quia genitum vt terminus pertinet ad generantem, relatio Paternitatis, cuius terminus est genitum pertinet formalissime ad constitutionem generantis in esse patris; item quia lux pertinet vt terminus negativus aëri tenebroso, ipsa negatio lucis quæ tenebræ dicuntur, pertinet formaliter ad constituendum aërem in esse tenebroso, & idem est in cæco respectu visus, & cæcitatibus; sed multitudo aut pluralitas fundamentalis pertinet ad vnum vt terminus negatus per illud: ergo negatio talis multitudinis formalissime pertinebit ad constitutionem vnius: ergo vnum formaliter constituitur per negationem multitudinis, quæ entitas positiva est.

56 Tercio sic efficacius insurgo, quia illa connotatio divisionis quæ indivisio dicitur non est omnis connotatio, quia distinguitur à connotatione relationis prædicamentalis, nam relatio prædicamentalis licet connotatio sit, est connotatio per modum ordinis quod non habet illa connotatio, quæ per vos non est ordo formalis, ac proinde non est relatio prædicamentalis præterquam quod connotatio ista unitatis, & connotatio relationis prædicamentalis habent distinctos terminos; nam connotatio unitatis habet pro termino divisionem quæ per vos est negatio, relatio autem prædicamentalis non habet pro termino negationem; sed potius positivam entitatem actu existentem: ergo illæ connotationes distinguuntur, item connotatio divisionis in ente non est connotatio relationis transcendentalis vt est materia ad formam substantialem, & c. ergo tria hæc genera connotationum sunt diversa inter se, sed non sunt ita diversa vt non convenient in ratione connotationis positivi vt sic: ergo ab omnibus illis potest abstrahi ratio communis connotationis positivæ vt sic, quæ sit superior respectu omnium illarum connotationum.

57 Tunc sic, de illa connotatione vt sic præcisa ab illis tribus, prædicatur essentialiter ens positivum vt sic, nam illa connotatio datur à parte rei, & existit vere, ac proinde non repugnat existere, item est intelligibilis: ergo est verum ens reale; sed est conceptus affirmativus, & non negatio, quia à positivis non abstrahitur conceptus negativus: ergo talis connotatio vt sic abstracta est ens positivum, de illa enim interrogo an sit æqualis enti, vel inferior respectu illius: si inferior: ergo connotatio divisionis à qua abstrahitur illa à fortiori erit inferior respectu entis vt sic, & ens vt sic erit superior, quia quod est superior respectu alicuius, necesse est vt etiam sit superior inferioris illius; v. g. quia substantia est superior respectu animalis, & animal est superior respectu hominis necessario, & à fortiori sequitur quod substantia sit etiam superior respectu hominis; sed ens vt sic est superior respectu connotationis vt sic abstractæ, à connotatione constituyente vnum, & connotatio vt sic est superior respectu illius connotationis constituentes vnum, quia prædicatur non solum de connotatione divisionis; sed de alijs connotationibus etiam ergo de primo ad ultimum ens est superior respectu connotationis constituentes vnum: ergo talis connotatio addita super ens non potest

constituere attributum entis, sed potius aliquod inferius entis, v. g. quia perfectitas est inferior respectu entis vt sic, & additur enti vt sic, non constituit attributum æquale enti; sed potius constituit substantiam quæ est inferior respectu entis vt sic, & ratio est, quia perfectitas non est omnis positiva ratio, sed aliqua; vnde addita supra ens non constituit æquale enti; sed inferius respectu illius.

Nec potest talis connotatio abstracta à connotatione divisionis esse æqualis enti vt sic, quia connotatio illa non est ipsa essentia entis vt sic, sed potius per vos est ratio positiva distincta ab ente, & positiva vt sic; sed si esset æqualis positivo vt sic aut enti, esset aliud positivum vt sic quod supra late refutavimus: ergo non est æqualis illi. Sed demus connotationem vt sic abstractam à connotatione constituyente vnum, & à connotatione relationis, & c. esse æqualem enti vt sic, necessario sequitur ens vt sic non esse æquale connotationi constituyente vnum, quia quando aliqua ratio est æqualis alteri, & convertibilis cum illa, non potest esse æqualis cum inferiori talis rationis quæ sibi est æqualis, v. g. quia animal vt sic est æquale cum viventi sensibili, & vivens sensibile non est æquale respectu hominis, sed superius etiam animal vt sic debet esse superius respectu hominis, & c. quia homo est æqualis respectu risibilis, & risibile est superius respectu Petri, homo non potest esse æqualis Petro; sed potius debet esse superior respectu illius; sed ens est æquale respectu connotationis vt sic quæ est superior respectu connotationis constituentes vnum; ergo ens est superior respectu connotationis constituentes vnum: ergo non constituit attributum.

Efficacius hoc vrgetur, quia illa connotatio quæ æqualis est cum ente per vos non distinguitur realiter ab ipso ente, sed tantum per rationem; atqui ita distinguitur vt magis exprimat rationem entis: ergo est magis expressio entis vt sic; patet consequentia, quia definitio, v. g. hominis est adæquata affirmativa expressio hominis, & ideo dicimus homo est animal rationale, & ideo definitio solet sic definiti, est oratio adæquate exprimens essentiam rei: ergo hæc quæ sic se habent, esset definitio entis, quod autem non possit esse definitio, sic patet, quia definitio est de essentia definiti, sed attributum alicuius non est de essentia illius: ergo attributum non potest esse definitio entis; sed si est positivum est definitio; ergo est definitio, & non definitio simul; vnde idem erit, & non erit simul: ergo ne hæc absurda sequantur, dicendum est vnum non esse connotationem formaliter positivam divisionis.

Quod amplius vrgetur, quia connotatio illa quæ indivisio dicitur, opponitur immediate divisioni vt vos asseritis; ergo indivisio est negatio non aliquid positivum: patet hæc consequentia, quia divisio est relatio formaliter, ac proinde est quid positivum; sed per vos indivisio opponitur divisioni: ergo opponitur relationi; sed omne quod opponitur relationi formaliter aut est positiva relatio vel negatio relationis; sed indivisio per vos quæ opponitur divisioni non est relatio: ergo est negatio relationis: ergo vnum constituitur per negationem, & non per positivum.

Quod autem divisio ultimo, & formaliter sit relatio sic probatur, quia divisum vt divisum actu,

actu, & formaliter non est ad se, sed ad alium terminum, & ita quando actu, & formaliter comparatur divisum, debet comparari cum alio à quo est divisum, quia divisum non est divisum à se, sed ab alio à se distincto; unde divisum ut divisum formalissime non potest concipi sine alio à quo dividitur, unde si detur una sola res in univervo per impossibile, & non detur aliud, non potest dici illa divisa actu, & formaliter, sicut non existentibus duabus rebus non potest dici una diversa divisa, & distincta ab alia actu & formaliter, & ideo non potest dici Petrus actu divisus, & separatus formaliter à creatura quæ nullo modo est, & potest esse, quia respectu illius, quod non est nulla denominatio formalis est; itaque res divisa actu, & formaliter petit, & entitatem in qua fundetur, & terminum extrinsecum existentem, distinctum à re divisa respectu cuius res denominatur intrinsece divisa: ergo divisio formaliter petit omnes condiciones requisitas ad relationem: ergo est relatio.

Declaratur hoc exemplo manifesto, ideo enim Paternitas est relatio, quia necessario petit fundamentum existens cui innitatur terminum actu existentem ad quem referatur, sine quibus nec esse neque concipi potest: sed etiam divisio actualis, & formalis petit actu subiectum quod denominet, & terminum extrinsecum à quo dividatur, & in ordine ad quem denominetur divisum, sine quibus nec esse neque concipi potest divisio actualis, & formalis: ergo divisio actualis, & formalis est relatio.

62 Vbi adverte omnes concedere relationem distinctionis, & divisionis, sicut concedunt relationem diversitatis, & dissimilitudinis, itaque licet concedatur negatio quæ detur inter divisa separata, & distincta, nihilominus ex vi talis negationis existentis in re distincta, & divisa resultat relatio divisionis, distinctionis, & separationis, per quam refertur res distincta divisa, & separata ad terminum illum actu existentem, à quo dividitur, distinguitur, & separatur res illa quæ divisa, & distincta dicitur, ita ut talis relatio petat essentiam seu entitatem illius pro ratione fundandi negationem seu carentiam unionis, aut identitatis.

63 Itaque supra entitatem indivisam primo advenit negatio, & post negationem ultimo datur, & resultat relatio divisionis tanquam ultima formalitas; nam sicut anima rationalis uno est ultima formalitas compositi, per quam ultimo, & formalissime componitur, & constituitur in ratione essentiali compositi oppositi rei simplici essentialiter, & physice, quia talis uno postremo, & ultimo advenit supra materiam, & formam, ita ut nulla alia formalitas adveniat post adventum unionis, item suppositivitas est ultima formalitas in ordine substantiali, quia post illam nulla alia substantialis formalitas advenit: sed potius præsupponuntur omnes ante illam, & illa sequitur ad omnes: sed relatio distinctionis, & divisionis est formalitas quæ ultimo advenit supra rem divisam, ita ut omnes formalitates distinctæ ab ipsa præsupponantur in re divisa ante relationem divisionis, & post omnes illas præsuppositas advenit talis relatio ultimo, & postremo: ergo talis relatio est ultima formalitas divisi.

64 Dices talem relationem, quia prædicamentalis est non esse primario intentam à natura: sed per

accidens resultare præsupposita negatione supradicta, & ideo non esse computandam inter formalitates divisi.

Sed contra manifeste, quia etiam paternitas, 65 & Maternitas sunt relationes prædicamentales, & nihilominus computantur inter proprias, & ultimas formalitates generantium, & ideo paternitas, & maternitas per se constituunt generantem in esse patris, vel matris, quæ formalitates relationis prædicamentalis sive à metaphysica, sive à theologia maximi habentur, & ideo à metaphysicis data opera agitur de illis, & unum integrum prædicamentum ex illis componitur, de quo latissime controversatur ab ipsis metaphysicis, & latissimas ipsi ac difficillimas quaestiones texunt de prædicamento relationis; fides autem maximi habet in mysteriis nostræ fidei, & sic agendo de beata Virgine definit expresse ipsam esse matrem Dei sub nomine relativo matris; imo loquendo de divinis personis explicat data opera non solum relationes transcendentes Patris, Filij, & Spiritus sancti; sed etiam relationem expiratoris activi quæ prædicamentalis, vel quasi prædicamentalis est: ergo relatio prædicamentalis quæ resultat in diviso non est flocci pèdenda: sed potius maximi habenda, imo anteponenda negationi; tum quia quæcumque formalitas positiva ex eo quod positiva sit, est perfectior negatione; tum quia quæcumque formalitas positiva est ratio fundandi talium relationum, quia tales relationes sunt positivæ formalitates, & illa ratio fundandi est negatio, & ideo dñ agimus de diverso opposito, & dissimili, anteponimus relationes negationibus, & sic potius data opera agimus de illis quam de his, tum etiam, quia relatio est ultima formalitas divisi, & negatio est quasi materialis comparata cum relatione, quia est fundamentum illius, & fundamentum est quasi materiale respectu rei fundatæ: ergo ultima, & præcipua formalitas in diviso est relatio divisionis, quæ resultat in ipso ratione negationis, vel identitatis vel conjunctionis: ergo divisio formaliter ultimo, & perfecte non est negatio, sed positivum.

Et confirmatur, quia in divinis conceptus ille 66 qui non est ad se, sed ad alium terminum, realiter distinctum, necessario est conceptus relativus, cum autem oppositio, & distinctio sit in divinis, v.g. in Patre non conceptus absolutus, & ad se, sed ad Filium, & ad Spiritum Sanctum, necesse est ut talis oppositio, distinctio, & divisio sit conceptus relativus: atqui in omnibus rebus, divisio non est conceptus absolutus, & ad se, sed ad alium existentem: ergo est conceptus relativus.

Quod autem omne quod opponitur relationi, 67 sit relatio vel negatio, patet manifeste, quia omne quod potest opponi relationi, debet esse positivum, aut negativum (loquor de oppositione relativa non determinativa: sed non positivum absolutum, quia inter absolutum, & relativum non datur relativa oppositio formalis, ut videtur in Paternitate, quæ opponitur relative formaliter non genito, sed filiationi: ergo est positivum relativum, vel si non est erit negatio, v.g. filiationi opponitur paternitas, aut negatio filiationis: ergo quicquid opponitur formali oppositione relationi, aut est negatio illius aut est altera relatio.

Tunc

Quæst. II. Quid addat Vnum supra ens. 233

68 Tunc sic, vnum ut vnum, non est relativum formaliter, quia vnum ut vnum in se, & respectu sui est, & sic nunquam definitur in ordine ad aliud; ergo vnum ut vnum immediate non opponitur diviso formaliter ut tali, quatenus est relativum relative; ergo opponitur negative; ergo vnum formalissime constituitur in suo esse per negationem.

69 Dices vnum ut vnum non opponitur relationi divisionis, sed negationi quæ est ratio fundandi talis relationis.

70 Sed contra, quia per vos vnum ut vnum non debet opponi multitudini materiali, & fundamentalis, sed ultimæ formalitati multitudinis, unde asseritis contra Patrem Suarez, unitatem seu divisionem non opponi pluralitati secundum entitatem illius, neque secundum terminos positivos talis pluralitatis, quia hoc omne dicitur esse materiae multitudinis, unde asseritis necessario opponi debere negationi, quæ ultimæ formalitatis est in entitatibus divisis, & pluribus; sed negatio non est ultimæ formalitatis pluralitatis; sed potius est ratio fundandi respectu ultimæ formalitatis, quæ est relatio divisionis; nam sicut in diversis resultat relatio diversitatis, & in dissimilibus, relatio dissimilitudinis, & in oppositis relatio oppositionis, ita similiter in divisis separatis, & distinctis resultat relatio divisionis, & distinctionis, seu separationis entitativæ, quæ habet pro fundamento ipsam entitatem rei, quæ divisa dicitur, & pro ratione fundandi negationem, sicut relatio diversitatis habet pro fundamento entitatem diversam, & pro ratione fundandi negationem per quam separatur à re diversâ; ergo sicut ultimæ formalitatis oppositi diversi, & dissimilis, neque est entitas ipsa, neque negatio consequuta ad talem entitatem, ratione cuius res diversa non est illa à qua diversa dicitur, sed potius relatio diversitatis, quæ petit pro ratione fundandi ipsam negationem; ita similiter ultimæ ratio formalis divisi ut divisi, nec erit entitas divisa, quia hæc est fundamentum divisionis, neque negatio identitatis aut unionis, quia hæc est ratio fundandi relationem divisionis, sed potius erit ipsa relatio, quæ ultimo advenit supponendo entitatem, & negationem dictam, nam id quod ultimo omnium advenit, est ultimæ formalitatis: ergo vnum per indivisionem formalissime & ultimo opponitur relationi divisionis, licet præsuppositive opponatur negationi, & entitati; patet consequentia, quia indivisum, & divisum, debent opponi in ultimis formalitatibus, & non solum in fundamentis illarum (alias etiam posset optime dicere aliquis eo modo quo asserit Suarez, unitatem non opponi negationi, quæ est formalitatis multitudinis per vos, sed potius entitatibus positivis terminatis, quia non est maior ratio, quare unitas opponatur vni fundamento, quam alteri si referatur via, & aditus ad affirmandum non ultimæ formalitati, sed fundamento opponi unitatem, quia non est maior ratio vnius fundamenti quam alterius) sed ultimæ formalitatis fundata in entitate, & in negatione est relatio divisionis: ergo unitas formalissime, & ultimo opponitur relationi divisionis: ergo per vos debet esse ratio illa per quam opponitur negatio, & non positiva ratio, quia supposito quod talis formalitatis unitatis non est relativa, debet esse negativa, quia relationi non opponitur formalissime nisi negatio, aut relatio.

R. P. Ildup. de Peñafiel, Theol. Schol. Tom. I.

SVBSECTIO IV.

Varie solutiones Adversariorum oppugnantur.

Respondent adversarii ad nostram principalem rationem, his verbis: Deus habet attributa æqualia sibi, licet sint positiva, & solum distinguantur per maiorem expressionem ab ipso Deo: ergo similiter potest ens ut sic positivum ut sic, habere attributa æqualia sibi, etiam si sint positiva.

Sed contra, quia Deus est positivum particulare, & particulare ens, ac proinde non est ens ut sic, nec positivum ut sic, ratione cuius non est ratio superior abstracta ab omni ente, & ab omni positivo, ratione cuius etiam non habet pro inferiori omne positivum particulare, adhuc per rationem distinctum à Deo, eo modo quo positivum ut sic habet pro inferiori, à quo abstrahatur, & respectu cuius sit superius quodcumque positivum, & ideo nullum potest dari æquale positivo ut sic, quod sit positivum, distinctum ab ipso adhuc per rationem: ergo Deus qui est aliquod particulare positivum, potest habere aliquod positivum particulare, distinctum ab ipso per rationem æquale ipsi, & convertibile cum ipso, & quod adæquate prædicetur de illo, quia vnum particulare ens, optime potest habere aliquam rationem distinctam à se æqualem sibi, quia non abstrahitur ab omni particulari ratione positiva: sed ens ut sic, seu positivum ut sic, non est particulare positivum: sed potius ratio abstracta ab omni positivo, ac proinde est omne positivum, seu universale positivum, & sic debet comprehendere sub se, tanquam superius, quodcumque positivum, & per consequens non potest habere positivum distinctum per rationem à se distinctum æquale sibi, quia positivum ut sic, quatenus abstrahitur ab omni positivo, est superius respectu omnis positivi distincti à se: unde solum synonymum positivi ut sic, vel eius definitio possunt esse æqualia positiva ut sic, quare si vnum est positivum æquale positivo ut sic, aut est synonymum illius, aut est definitio ipsius: atqui vnum non est definitio positivi ut sic, alias non esset attributum, sed essentia illius: ergo si est positivum æquale erit synonymum positivi ut sic, & non attributum eius, sicut ensis non est attributum gladii, sed synonymum illius; tunc enim aliqua sunt synonyma quando significatum vnius nominis est significatum alterius, sed significatum positivi ut sic est habens esse positivum, & affirmativum ut sic, & immediate oppositum negationi, & significatum vnius ut sic est affirmativum esse, & immediate oppositum negationi: ergo est synonymum positivi.

Vergetur, ideo Deus non potest habere pro attributo aliquam perfectionem distinctam realiter à se, quia Deus est superior in essentia & perfectione, omni perfectione realiter distincta à se; quare quod distinguitur à Deo realiter, & non est Deus à parte rei, necessario est inferius Deo à parte rei, & quia est inferius non est æquale ipsi, implicat enim idem respectu eiusdem esse æquale, & esse inferius, quia autem Deus per rationem non est superius omni perfectione, quia per rationem dantur perfectiones increate distinctæ

G g finitæ

distincta à Deo, possunt esse æquales ipsi Deo, quia Deum per rationem partimur, & distinguimus in varias formalitates, & attributa, ideo per rationem ponimus in Deo attributa distincta à Deo æqualia illi.

73 Sed ens adhuc per rationem est superius omni positivo, quia abstrahitur ab omni: ergo non potest habere aliquod positivum æquale sibi distinctum à se, & quod non sit synonymum neque definitio illius, sed attributum eiusdem; itaque unum particulare ens potest habere alia particularia entia distincta à se, æqualia sibi, quia particularia, eo quod non comprehendant sub se omnia, possunt esse plura distincta inter se: sed positivum ut sic comprehendit sub se omnia positiva: ergo non potest habere alia positiva distincta à se æqualia sibi, quia positivum ut sic est universale, & universale ut tale non multiplicatur in alia sibi similia, ut iam supra demonstravimus, dividitur autem per contractionem in sua inferiora, quæ plura possunt esse, quia particularia, ut patet ex dictis in *Logicæ tractatu de Universalibus*.

74 Iterum Respondent adversarij, dicentes positivum ut sic non posse præscindi ab uno, quatenus convenit cum vero, & bono, ex eo quod omne quod præscinditur debeat abstrahi ab inferioribus realiter distinctis, & non solum distinctis per rationem, & sic negant positivum ut sic esse superius respectu unitatis.

75 Sed contra primo, quia præcisio per rationem solum petit plura distincta convenientia inter se, ut ab eis præscindatur illa ratio convenientia, sive plura sint realiter distincta, sive solum per rationem, quia sicut præcisio est per rationem; ita sufficit ut plura per rationem sint talia, & quod habeant convenientiam inter se, & ideo axioma illud receptum à logicis, & metaphysicis, videlicet quod à quacunque convenientia intrinseca, possit præscindi ratio talis convenientia, non exprimit in particulari distinctionem realem inter convenientias; sed solum explicat convenientiam illorum quomodocunque illa distinguantur, quis enim prohibet ut à triplici ente rationis abstrahatur ratio entis rationis ut sic, quod facit metaphysicus abstrahendo à quocunque ente rationis in particulari ens rationis ut sic, de quo in generali & in universali data opera agit.

76 Item à prædicamento actionis, & passionis abstrahit rationem accidentis intrinseci, quod prædicatur essentialiter de actione, & passione, & distinguit illud à prædicamento substantiæ, & nihilominus actio, & passio solum distinguuntur per rationem, & minime à parte rei, ut ipsi adversarij, cum quibus pugnamus, fatentur: ergo ut abstrahatur aliqua ratio metaphysica ab aliis convenientibus, non est necesse ut talia distinguantur à parte rei; sed solum sufficit, ut sint realia, & per rationem distincta, & plura: Item in sententia P. Suarez abstrahitur à relatione similitudinis, & dissimilitudinis, quæ dantur in eadem albedine respectu nigredinis, & aliterius albedinis, & à relatione identitatis, quæ etiam datur in albedine relatio ut sic, quæ constituit prædicamentum relationis, tanquam genus, & proprium universale, & nihilominus in sententia huius Authoris, & omnium ipsius vestigijs insistentium, tales relationes non distinguuntur à parte rei; sed solum per rationem; nam

omnes relationes secundum Patrem Suarez identificantur cum immediato fundamento, & sic inter se etiam debent identificari, quia quæ sunt eadem unitate, sunt eadem inter se.

Clarius, in divinis dantur quatuor relationes, scilicet Patris, Filij, & Spiritus Sancti, & spiratoris activi, à quibus omnibus, ut late docet Pater Suarez, p. tract. de Trin. cum communi sententia Theologorum, potest abstrahi relatio ut sic divina, & nihilominus relatio spiratoris activi, non distinguitur realiter: sed solum per rationem à relatione Patris, & Filij; ergo abstractione rationis alicuius superioris non impedit identitas realis, quando datur distinctio per rationem inter illa quæ convenient, & ideo perfectio ut sic abstrahitur ab omni perfectione tam creata, quam increata, quia omnes habent in se conceptum perfectionis, licet Iustitia, & misericordia divina, à quibus etiam abstrahitur perfectio ut sic non distinguantur realiter; sed solum per rationem; ratio videtur à priori, quia præcisio per rationem est cognitio unius formalitatis expresse non cognita alia: sed ad huiusmodi cognitionem sufficit distinctio per rationem quæ datur inter illas formalitates: ergo præcisioni non obstat identitas realis, dum tamen datur inter illa, à quibus præscinditur distinctio rationis.

Quod evidenter convincitur; nam ratio entis per vos non distinguitur realiter ab ipsis, & nihilominus præscinditur ab illis: ergo præcisio potest dari inter res quæ identificantur à parte rei, & solum per rationem distinguuntur; ideo enim metaphysicus præscindit divinitatem à divinis relationibus, in demonstratione metaphysica, quæ cognoscit evidenter Deum, & minime potest cognoscere tres divinas relationes, quia tres illæ divine relationes habent divinitatem, etiam si non distinguantur ab illa neque in divinitate, sed solum per rationem; ergo ut aliquod præscindatur ab alio, non est necesse quod convenientia in illa ratione distinguantur realiter, sed sufficit distinctio rationis cum fundamento in re.

Dices præcisioni rei universalis officere, & ob stare identitatem realem eorum quæ conveniunt in tali ratione, & ideo licet possit præscindi divinitas à relationibus, non præscinditur ut conceptus universalis, quia divinitas non est divisa realiter in tribus divinis personis.

Sed contra manifeste, quia ratio quare divinitas non abstrahitur ut quid universale, est, quia divinitas ut talis includit singularitatem, individuationem, & eceitatem, nam Deus essentialiter est individuus, & singularis; unde si Deus de suo conceptu formali non esset individuus, sine dubio præscinderetur ut conceptus communis, etiam si inferiora non distinguantur inter se realiter, ut patet ex exemplis adductis, quapropter ratio substantiæ ut sic, & ratio entis ut sic, & essentia ut sic est conceptus communis actioni, & passioni, quia præscinditur ab illis, quatenus conveniunt in illa ratione, & ex suo conceptu essentiali, non includit individuationem, & singularitatem, etiam si talia inferiora non distinguantur realiter, sed solum per rationem, ut videre est etiam in perfectione ut sic, quæ abstrahitur à Iustitia, misericordia, intellectu, voluntate, & reliquis perfectionibus divinis, quæ est communis communitate logica, etiam si inferiora, de quibus prædicatur, & ad quæ contra-

Quaest. II. Quid addat Vnum supra ens. 235

hinc, non distinguantur realiter ut supra dixi: ergo.

81 Sed supponamus distinctionem per rationem non sufficere ad hoc ut aliquid abstractum ab aliquibus sit ratio communis, & superior; nihilominus tamen quaecumque distinctio à parte rei sufficit ad hoc, ut ratio præcisa sit superior respectu illorum, à quibus præcinditur per convenientiam quam habent inter se: sed attributa omnia entis, quatenus positiva sunt, non solum distinguuntur per rationem: sed etiam fundamentaliter à parte rei; nam eo ipso quod per rationem ratiocinatum distinguuntur formaliter, debent etiam distingui realiter virtualiter, seu fundamentaliter; nam in hoc distinguitur distinctio rationis chimerica; seu distinctio rationis ratiocinantis à distinctione rationis ratiocinatae, quia prima nullum habet fundamentum à parte rei, secunda vero habet illud, quæ ut supra demonstravimus, est distinctio virtualis seu fundamentalis.

82 Ergo ratio communis abstracta ab attributis, quatenus conveniunt in ratione entis positivi ut sic, quæ est ratio positiva ut sic, erit superior respectu illorum, & illa erunt inferiora respectu positivi ut sic.

Quod autem distinctio virtualis à parte rei sufficiat ad præcisionem rationis superioris, patet; nam distinctio virtualis est sufficiens, ad hoc ut tales formalitates sint distinctæ, sint subiecta prædicatorum realium contradictione, & contrarie metaphysice oppositorum, quod magis est quam quod vnum ex illis sit superius, & alterum inferius, quæ solum sunt formalitates per rationem oppositæ. Unde quod potest, & magis potest, & minus: sed distinctio virtualis potest esse sufficiens ut vna formalitas conveniat realiter, & altera non conveniat realiter: sed potius differat sine vlla implicatione, licet secundum se maiorem oppositionem habere videantur, quam ratio superior, & inferior per rationem: ergo à fortiori erit sufficiens distinctio virtualis inter aliqua quæ similia sunt, ut per rationem possit abstrahi ratio aliqua quæ sit superior per rationem respectu illorum à quibus abstrahitur.

83 Clarius videtur, quia à parte rei talia attributa distinguuntur virtualiter, aut fundamentaliter: ergo sunt plura à parte rei virtualiter; atqui non sunt dissimilia in ratione positiva; sed potius quatenus distinguuntur virtualiter conveniunt, & assimilantur in ratione positiva ut sic, quia sicut vnum habet rationem positivam, ita etiam verum, & bonum, quæ ratio indicat assimilationem inter talia attributa: ergo illa conveniunt in ratione positivi ut sic; sed ab omnibus convenientibus in aliqua ratione, potest abstrahi talis ratio in qua conveniunt, quæ sine dubio ut sic abstracta erit superior, & universalior, quam vnumquodque ex illis attributis, quia latius patet in prædicatione respectu vniuscuiusque, & quam vnumquodque illorum: ergo.

84 Declaratur, quia positivum ut sic, per rationem prædicatur de vno: sed non adæquate prædicatur de illo, quia etiam prædicatur de vero, & bono, quæ etiam sunt positiva: ergo in prædicatione latius patet quam vnum, ac proinde extenditur præter illud ad alia: ergo superat illud in prædicatione: ergo est prædicabile superius respectu illius: ergo universale superius.

85 Amplius in isto, quia illa attributa per te, licet tantum distinguantur per rationem, vocantur ab

R. P. Ideph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

solute attributa plura, & non vnum: ergo illa pluralitas, & distinctio sufficit ad hoc ut non sint ipsa essentia; cuius attributa sunt, & quod non sint vnum attributum, sed multa. Tunc sic, illa quæ multa, & plura attributa dicuntur, vel sunt similia, vel non sunt similia in ratione positivi, quia quodlibet necessario vel est vel non est: nam impossibile est idem esse, & non esse simul: sed non potest dici quod quatenus attributa, & multa non sint similia; cum omnia habeant conceptum positivum, ita sit vnum positivum sicut aliud: ergo sunt similia in ratione positivi; sed similitudo inter multa est fundamentum præcindendi aliquam rationem superiorem, & communem multis: ergo ratio positiva ut sic potest abstrahi ab illis omnibus ut superior, & communis; nam talis ratio non est propria vnius; sed etiam repetitur in vero, & bono: ergo talis ratio est communis vni vero, & bono: ideo enim animal ut sic est commune respectu hominis, & equi, quia ita prædicatur de homine, ut non solum prædicatur de ipso, sed etiam prædicatur de equo, &c. ac proinde prædicatur de multis: sed ratio positiva, quæ prædicatur de vno, non solum prædicatur de ipso, sed etiam prædicatur de vero, & bono: ergo prædicatur de multis: ergo est universale, seu superius; unde quod illa attributa distinguantur vel non distinguantur realiter formaliter, non obstat quominus possit dari aliqua ratio superior respectu illorum, quæ quia est transcendens, non erit genus, erit tamen communis, & universalis, quia de multis prædicatur, & multis communicatur, habendo in se unitatem præcisionis; nam in unitate datur, & conceptus positivus, & conceptus talis positivi, scilicet connotationis divisionis, qui conceptus, aut prædicata possunt præcindi inter se, quia præcisi per rationem non exigit distinctionem inter formalitatem, quæ præcinditur, & formalitatem à qua præcinditur talis ratio, alias neque divinitas præcindi posset à relationibus, neque ens à Deo, & à creaturis, cum neque divinitas distinguatur à relationibus, neque ens ab inferioribus realiter formaliter, sed solum per rationem: ergo ratio positivi contracta per differentiam, aut quasi differentiam vnius præcinditur à tali differentia; sed non præcinditur ut vna ratio propria ab altera ratione propria vnius, quia ratio positivi non est propria unitatis, cum conveniat vero, & bono: ergo præcinditur, ut ratio communis vero, & bono: sed ratio communis præcisa à particularibus, est ratio universalis: ergo ratio positiva, quæ præcinditur ab vno, non ut propria illius, sed ut communis vero, & bono, quatenus distinguuntur inter se virtualiter à parte rei, à quibus etiam præcinditur, & de quibus omnibus prædicatur, erit universalis per rationem, quia inter universale, & particulare non datur medium; sed ratio illa positiva abstracta ab vno non est particularis, & propria vnius, alias non conveniret vero, & bono: ergo est communis multis, ac proinde universalis, quia universale est vnum commune multis, & in multis: sed universale est superius respectu omnium à quibus abstrahitur, & non est æquale cum vnoquoque ex illis: ergo positivum ut sic non est æquale cum vno: ergo vnum non est attributum positivi ut sic, & ratio est manifesta, quia positivum ut sic, quatenus abstractum ab omni positivo, est omne positivum æquivalenter, ac proinde propositio indefinita de positivo ut sic æquivaleret propositio

G g 2 rionis

tioni affecta signo, omnis, & omne, v. g. idem est dicere positivum habet essentiam, & non est nihil, ac hæc, omne positivum habet essentiam, &c. sed vnum non est omne positivum, quia neque est ipsa essentia, cuius est attributum, nec est verum, & bonum formaliter: ergo est solum aliquod positivum, ac per consequens non potest esse æquale cum positivo vt sic, quod est omne positivum, sicut aliquod animal non potest esse æquale respectu animalis vt sic, quia animal vt sic, æquivaler huic termino, omne animal: ergo sicut aliquod animal non potest esse attributum animalis vt sic, neque aliquis homo potest esse attributum hominis vt sic, & aliqua substantia non potest esse attributum substantiæ vt sic, ita similiter aliquod positivum non potest esse attributum positivi vt sic, & si potest, interrogo à te, quare substantia non sit attributum entis vt sic? certe nulla alia ratio potest assignari, nisi quia substantia est aliquod ens, & ens vt sic est omne ens, ac proinde sub eius potestate, & communitate comprehenditur substantiam, quæ quia taliter comprehenditur, est inferior, & quia talis est, non est æqualis, & sic non potest esse attributum.

86 Sed vnum vt distinguitur virtualiter à parte rei, & formaliter per rationem à vero, & bono, non est omne positivum, sed aliquod positivum, & positivum vt sic est omne positivum vt explicui: ergo positivum vt sic continet sub sua communitate, & universalitate seu potestate communicationis, & prædicationis vnum tanquam inferius: ergo vnum si positivum est, non est æquale positivo vt sic: ergo non est attributum eius, etiam si non distinguatur formaliter à parte rei à vero, & bono, quia sicut sola distinctio virtualis aut formalis per rationem facit vt vnum sit attributum entis, ita similiter per rationem debet tale attributum esse æquale respectu entis; unde si per rationem non est æquale, non erit attributum: atqui, vt probatum est, vnum per rationem non est æquale positivo vt sic: ergo non est attributum illius.

SVBSECTIO V.

Secunda impugnatio prædictæ solutionis penitur.

87 Supponamus per impossibile distinctionem illam virtualem à parte rei, & distinctionem formalem per rationem non sufficere ad hoc vt positivum vt sic, abstrahatur per modum superioris ab vno, vero, & bono, nihilominus tamen non potest negari quod positivum vt sic abstrahatur, & præscindatur per modum rationis superioris communis, & universalis, ab omnibus particularibus positivis, realiter, & formaliter distinctis inter se, eo modo quo substantia vt sic abstrahitur ab omnibus particularibus substantijs, ita vt nulla particularis substantia reperiatur distincta ab alia à parte rei, à qua non abstrahatur ratio substantiæ vt sic, in quo nulla controversia est apud Doctores, quia pro certissimo habetur apud illos rationem communem posse abstrahi ab omnibus nullo dempto, quæ conveniunt in tali ratione, & ideo ratio positivi, aut entis vt sic abstrahitur ab omni ente particulari, prout distinguitur ab alio, & convenit cum illo, ita vt distinctio sit conditio abstractionis, & convenientia sit

ratio formalis abstrahendi, & ideo vt supra notavi, ens vt sic, aut positivum vt sic indefinite sumptum, æquivaler omni positivo, quia abstrahitur ab omnibus particularibus positivis, convenientibus in ratione positiva, & distinctis à parte rei inter se formaliter, quod clarissime patet in homine vt sic, qui non abstrahitur ab hoc vel illo homine tantum, neque à centum, aut mille hominibus: sed potius ab omnibus hominibus sine eo quod aliquis homo relinquatur à quo non præscindatur talis ratio hominis vt sic.

Sed omnia singularia realiter distincta inter se, non solum sunt positiva distincta, & convenientia in ratione positivi, quatenus entia particularia, sed etiam quatenus vna vera, & bona, quia per vos tam formaliter est Petrus positivus, quatenus vnus verus, & bonus, ac quatenus ens particulare.

Ergo positivum vt sic, non solum abstrahitur à Petro, Paulo, & reliquis individuis entitatibus realiter distinctis, sic Angelicis, sic hominibus, sic elementis, & reliquis, quatenus sunt entitates formalissime: sed etiam quatenus sunt unitates, veritates, & bonitates: patet consequentia, quia in omnium sententia ratio superior abstrahitur ab omni convenienti in illa ratione: sed omnia individua realiter distincta non solum convenient in ratione positivi, quatenus entia; sed etiam formalissime quatenus vna, vera, & bona, quia per vos formalissime, & expresse vt sic, sunt positiva, quia positivis rationibus vt sic non solum abstrahitur ab entibus, quatenus tales; sed etiam ab unitatibus, veritatibus, & bonitatibus, ita vt ratio abstrahatur ab illis sit vna, & indivisibilis formalissime, & per rationem, sicut ratio substantiæ vt sic abstrahatur ab omnibus substantijs, est vna, & indivisibilis in se, & ratio entis vt sic per vos abstrahatur ab omnibus entibus particularibus est vna, & indivisibilis ratio formalissime sine vlla diversitate in ratione entis, & sine divisione primarij, & secundarij conceptus, & idem est de animali vt sic, quod quatenus abstrahitur ab omni animali expresse tali, est vnus indivisibilis conceptus per intellectum, sed positivum vt sic abstrahitur præscinditur ab omnibus positivis expresse, & formaliter talibus, ac proinde abstrahitur formalissime ab entitatibus, unitatibus, veritatibus, & bonitatibus, formaliter, & expresse talibus, quia vt sic dicunt formalissimam rationem positivam: ergo positivum vt sic in conceptu expresse, & formalissimo positivi, est omnino idem sine vlla distinctione primariæ, & secundariæ formalitatis in esse expresse positivi, alias in expresse, & formalissimo conceptu substantiæ vt sic, daretur primarius & secundarius conceptus, quod est falsum vt ex terminis patet: ergo non potest dari aliqua ratio expresse positiva, quæ possit esse secundarius conceptus positivi vt sic: ergo nulla formalitas positiva potest esse attributum positivi vt sic, quia attributum sub ea ratione formali, quæ attributum est, est secundarius conceptus: ergo unitas, veritas, & bonitas, quæ sunt attributa positivi vt sic, ac secundarij conceptus illius, non possunt formaliter, & expresse esse formalitates positivæ: ergo necessario est vt sint negativæ, quia negatio est secundarius conceptus positivi, & accessorium illius, & ex alio capite non datur medium inter positivum, & negativum: ergo si unitas, veritas, & bonitas quoad expresse, non possunt

Quaest. II. Quid addat Vnum supra ens. 237

sunt esse positivæ, poterunt sine dubio esse negativæ, seu potius debent esse tales.

⁹⁰ Declaratur, quia ut iam probatum manet, positivum ut sic abstrahitur formalissime, non solum à formalitatibus entis, sed etiam à veritatibus, unitatibus, & bonitatibus distinctis formaliter à parte rei, quia quoad expressum, sunt positivæ rationes, sicut etiam positivum ut sic, præscinditur in Petro, Paulo, & reliquis, non solum à substantia eorum, sed etiam ab omnibus accidentibus, & proprietatibus, & hoc quidem primario, quia licet substantia, & accidentia quoad differentias dicantur primarius, & secundarius conceptus, ita ut substantia ratione perfectitatis sit primaria, & accidentia ratione inaleitatis sint secundaria respectu eiusdem substantiæ, nihilominus in ratione universalissima entis, & positivi substantia non est prior, neque accedens est posterius, & ideo ratio entis, & positivi est univoca per vos substantiæ, accidentibus, & proprietatibus eiusdem; unde in illo conceptu positivo ut sic, provt abstrahit ab accidenti proprietate substantiæ, & à substantia ipsa, non datur duplex conceptus, alius primarius correspondens substantiis; alius secundarius correspondens accidentibus aut proprietatibus eiusdem substantiæ, alias talis conceptus non esset univocus, si quidem haberet diversitatem, & distinctionem in se, imo non esset simpliciter præcisus ut patet ex supradictis, cuius ratio non est alia, nisi quia accidentia, quæ sunt proprietates substantiæ, & substantia ipsa intrinsece, conveniunt in ratione positivi ut sic, sed non solum entitates realiter distinctæ, quatenus tales, sed etiam unitates, veritates, & bonitates, quatenus tales formaliter, & intrinsece, conveniunt in ratione positivi: ergo ab omnibus illis, sub omnibus illis formalitatibus præscinditur una indivisibilis ratio primaria, positiva ut sic, sine inæqualitate, aut diversitate respectu formaliter in ipso conceptu positivi ut sic, & sine divisione eiusdem positivi ut sic, in primarium, & secundarium conceptum expressum positivi: ergo respectu positivi ut sic non potest dari aliud positivum ut sic, æquale illi distinctum ab ipso attributum ipsius, quia omne attributum est secundarius conceptus.

⁹¹ Vergetur, quia ut iam demonstravimus ab omni positivo particulari unitate, & entitate abstrahitur primaria ratio positivi ut sic, ita ut nulla sit formalitas positiva à parte rei, à qua non sit abstracta ratio illa positiva ut sic indivisibilis, & omnino una.

⁹² Ergo nulla relinquitur formalitas positiva in inferioribus distinctis à parte rei, à qua possit præscindi alia formalitas positiva ut sic, distincta à prima ratione positiva, quæ possit esse æqualis illi, & secundarius conceptus illius, quia si prima ratio positiva ut sic abstrahitur ab omni formalitate positiva, & ultra omnem nihil relinquitur, alias non esset omnis formalitas positiva à qua abstracta esset primaria illa ratio positiva: ergo nihil est à quo possit abstrahi secunda ratio expresse positiva ut sic.

⁹³ Ergo si unitas abstrahitur post positivum ut sic, tanquam secundarius conceptus illius, æqualis illi distinctus ab ipso, non poterit esse formalitas positiva, sed potius erit negatio: ergo unitas ut distinguitur à positivo ut sic, seu ente ut sic, non dicit positivam rationem ad negationem, quia id quod additur supra aliquid, debet esse ex-

tra illud cui additur, quia si est in illo, & intra illud, antequam adveniat additum non potest illi addi, v.g. animali completo, quatenus tali non potest addi vivens, aut sensibile, quia animal completum habet id, quatenus tale est, vitalitatem, & sensibilitatem; e contra vero homini essentialiter licet non addatur rationalitas, additur risibilitas, quia risibilitas non est intra hominem, sed positivum ut sic, quatenus primo abstrahitur ab omni positivo includit in se omnem rationem positivam, & ideo est idem quod omne positivum: ergo non potest illi superaddi aliqua formalitas positiva ut sic, æqualis illi quæ constituat cum illo conceptum secundarium, seu attributum illius.

Exemplo manifestissimo declaratur, quia enim homo ut sic præscinditur ab omni homine particulari, secundum prædicata essentialia uniuscuiusque hominis, est omnis homo essentialiter, ac proinde includit intra se primario omnem conceptum, & omne prædicatum essentialia hominis, & ideo non potest supra illum addi aliquod prædicatum essentialia hominis abstractum post illum, alias non haberet in se omne prædicatum essentialia hominis, & sic non esset complete homo, antequam illi adderetur talis ratio, nec esset abstractus ab omni particulari homine, essentialiter completo in esse hominis: sed ratio positivi ut sic abstrahitur complete ab omnibus positivis particularibus sub omni ratione positiva, & ideo positivum ut sic æqualiter est omne positivum: ergo includit in se omnem rationem formalem positivam ut sic in suo primario conceptu simplicissimo, sine ulla distinctione, & diversitate positivi: ergo supra positivum ut sic nulla potest addi ratio positiva ut sic, quæ sit distincta ab illa æqualis illi, & secundaria respectu illius: ergo si additur, aliqua debet esse negatio, quia intra positivum ut sic primarium, non includitur negatio, & ex alio capite est secundarius de se conceptus positivi: Sed unitas addit aliquid supra positivum, vel ens ut sic distinctum ab ente, & quod non includatur in ente vel positivo ut sic ut ex positivo, & ex tali formalitate addita resultet attributum: ergo id quod addit unitas non est positiva formalitas: sed potius negatio, sicut id quod additur supra animal ut sic, ut sit proprietas illius, non potest esse expressa ratio animalis seu ipsa ratio viventis sensibilis, sed potius debet esse alia formalitas distincta à ratione animalis, quapropter si aliquis diceret dari duplex animal ut sic, sub ijs conceptibus expressis, & quod unum esset secundarius conceptus alterius, intruderetur sine dubio à sapientibus, quia non potest excogitari duplex animal ut sic, quia solum unum ex eo quod præscindatur ab omni animali particulari est omne animal, & includit omnem rationem animalis, ac proinde extra animal ut sic, non potest reperiri villo modo aliud animal ut sic, quod distinguatur ab illo adæquate, & possit esse æquale illi, & secundarius conceptus ipsius: ergo similiter si positivum ut sic, quia abstrahitur ab omni positivo, est omne positivum, ita debet esse unicum sub expresso conceptu positivo ut sic, ut non possit abstrahi, neque reperiri aliud positivum ut sic, æquale illi distinctum ab illo, & quod sit secundarius conceptus seu attributum illius: atqui unitas ut sit, veritas ut sic, & bonitas ut sic sunt attributa positivi ut sic, quia est intelligibile appetibile, & unum: ergo non sunt positivæ formalitates, sed negativæ.

SVBSECTIO VI.

Solutio quadam Patris Hurtado impugnatur.

- 95 **R**esponder P. Hurt. aliquid dari distinctum à positivo ut sic, quod possit esse attributum ponivi ut sic, & quod possit addi supra illud, scilicet exclusionem contradictorij positivi ut sic, & oppositionem cum proprio contradictorio.
- 96 Sed contra hanc solutionem in suo robore per-
seuerant nuper facta argumenta in præcedenti
sectione, ut de se patet, quia illa exclusio contra-
dictorij, & illa oppositio ex parte positivi con-
stituens attributum entis, vel est negatio vel po-
sitivum; si negatio habeo intentum, scilicet quod
attributa entis addant aliquid negativum supra
ens; si est positivum: ergo iam includitur in posi-
tivo ut sic primario, quia quicquid positivum est
ut sic, reperitur in positivo primo, &c. eo modo
quo explicuimus superiori subsektione: unde ficti-
tia est illa additio Hurtado.
- 97 Secundo contra insurgo, quia inter terminos
contradictorie oppositos, datur maxima, & im-
mediata exclusio, & oppositio, sed si esset super-
additum ad illam exclusionem, & oppositionem,
non esset immediata exclusio, & oppositio cum
mediaret illud superadditum, ratione cuius op-
ponuntur illa contradictoria: ergo quod sic evi-
denter convincitur, quia ipsa essentia entis
quatenus distinguitur ab vno, est subiectum ne-
gationis entis, quando dico non ens, ita ut ne-
gatio entis immediate cadat supra ens, quia ne-
gatio est capax essendi supra quamcumque aliam
rationem, præciso quocumque alio ab illa, ut
videre est in hoc exemplo, non ens, ubi illa nega-
tio immediate cadit supra ipsum ens; nam ipsum
ens quatenus distinguitur ab vno, habet suum
contradictorium, ita ut ens subiektatur immediate
illi principio, impossibile est idem esse, & non
esse; sed negatio cadens immediate sine aliquo
addito supra ens, est contradictorium entis, &
negatio cadens supra ens, destruit ens, & ens sine
illa negatione est contradictorium non entis; ita
ut ens quatenus ens sit terminus oppositionis
contradictorie: sed est ens per suum esse sine addi-
to: ergo ens ut ens, sine addito excludit suum con-
tradictorium.
- 98 Item, quia ens immediate, & ex vi sui concep-
tus essentialis, est sine illa negatione entis, v.g.
quando dico in hac propositione, ens est essentia
realis, & non dico ens est vnum, illud subiectum
ens, ut sic, vel dicit negationem, vel non; non di-
cit negationem, quia iam non esset ens, sed con-
tradictorium entis; imo falsificaretur illa propo-
sitionis, quia non est verum dicere, non ens est es-
sentia realis: ergo ut est subiectum illius propo-
sitionis, non dicit negationem, etiam si non con-
cipiatur ut vnum, unde ex vi suæ essentiae, non
dicit negationem entis: sed non dicens negatio-
nem entis est contradictorium dicentis negatio-
nem entis, ut non ens, v.g. ens ex suo conceptu
essentiali est ens, & non est ens in quantum vnu,
sed ens ut ens, & quatenus est subiectum illius
propositionis, non dicit negationem entis, & ideo
est contradictorium non entis pro ut sic: ergo ens
ex vi suæ essentiae, & non ut vnum, nec cum ali-
quo superaddito excludit suum contradicto-
rium.

Quod declaratur amplius; nam hæc sunt duæ 99
contradictiones distinctæ, ens non est ens, vnum,
non vnum; unde vnum in sententia adversario-
rum non potest esse negatio non entis, sed po-
tius non vnius, sicut ens non potest negare vni,
sed potius negat non ens: ergo contra non ens nō
negat vnum, sed ens, & sic vnum non negat non
ens, quia non sunt contradictoria, sed potius non
vnum: ergo similiter ens non negabit non vnum,
sed non ens; & hoc ita ut vnum immediate sine
aliquo medio addito, neget non vnum, quia im-
mediate opponitur suo contradictorio: ergo si-
militer ens excludet, & opponitur suo contra-
dictorio immediate, & sine aliquo addito, ita ut à
fortiori illud additum non potest esse vnum, quia
iam ens opponeretur suo contradictorio ratione
vnius; unde à fortiori ipsum vnum contradicto-
rie opponeretur non enti, propter quod vnum-
quodque tale, & illud magis: sed falsissimum est
quod vnum opponatur contradictorie non en-
ti, ut ex regulis Summularum patet: ergo. Item
quia confunderentur illæ contradictiones supra-
dictæ.

Explicatur hoc totum ex opposito, quia con- 100
tradictorium negativum, v.g. non ens non oppo-
nitur enti, ex vi superadditi; sed immediate ex
vi suæ entitatis negativæ, quia immediate oppo-
nitur enti: ergo propter eandem rationem posi-
tivum contradictorium, v.g. ens non opponitur
mediate, & ex vi alicuius superadditi; liquidem
non est maior ratio, in vno quam in altero: ante-
cedens est evidens, quia vel illud superadditum
est negativum, vel positivum, non est negativum
quia iam essent duæ negationes, id est vnum ne-
gativum super aliud: unde illud contradictorium
non esset negativum, sed positivum, & affirma-
tivum, quia ut adversarij habent pro constanti
duæ negationes affirmant; vel esset positivum,
& hoc non, quia super negativum non fundatur
positivum.

Item quia positivum non potest esse ratio for- 101
malis opponendi se contradictorie cum positivo,
quia vnum positivum non opponitur alteri posi-
tivo contradictorie, quia inter contradictoria
datur maxima disconvenientia sine aliqua con-
venientia, inter duo autem positiva datur maxi-
ma convenientia, præterquam quod in vno con-
tradictorio non potest reperiri aliquid alterius,
sicut in ente positivo non datur ratio nihili, quia
est alterum contradictorium: ergo terminus ne-
gativus, si quidem est alterum contradictorium
positivi, nihil habet alterius, quia terminus con-
tradictorius, v.g. entis est ipsum ens cum nega-
tione, id est, est adæquata negatio entis, unde non
debet includere aliquid entis: ergo immediate op-
ponitur enti sine aliquo superaddito, sicut per
solam ablationem negationis, immediate illud
quod erat non ens, remanet ens: ergo ens ablato
quocumque, expellit, & opponitur suo contra-
dictorio.

Vigetur, si negatio contradictorij entis est at- 102
tributum entis ut sic: ergo negatio non Dei, seu
expulsio illius, est attributum Dei, quia illud quod
est attributum rationis superioris contractum est
attributum inferioris, v.g. quia unitas ut sic, vni-
tas ut sic, bonitas ut sic sunt attributa entis: ve-
ritas, unitas, & bonitas divina ratione talis con-
tractionis ad divinum sunt attributa Dei; & ratio
est, quia attributum est exercitium essentiae, & se-
quitur essentia in omnibus: sed essentia superioris
contracta

Quæst. II. Quid addat Vnum supra ens. 239

contracta est essentia inferioris: ergo attributum superioris contractum erit attributum inferioris. Sed inauditum est quod expulsio, seu negatio non Dei sit attributum Dei, quia negatio negationis alicuius formalissime est illud, quia duæ negationes affirmant; unde quando dicimus, *nec non Deus creat*, idem est ac dicere formalissime, *Deus creat*, quia ut probatum est; Deus in quantum Deus est Deus, & in quantum est Deus, immediate excludit suum contradictorium, præsertim, quia attributa Dei non sunt indeterminata, & vaga: sed expulsio non Dei indeterminata, & vage se habet, si quidem Deus negando non Deum negat omnia tam positiva realia creata, quam negativa, & etiam entia rationis; quia de ipso vaco dicitur quod non sit Deus, & de ente rationis verificatur idem: ergo Deus expellendo non Deum, expellit vacuum, chymeram, & creaturas possibiles infinitas, siue sint reales siue modales: sed hæc omnia sunt indeterminata: ergo illa negatio non Dei indeterminata erit: ergo propter hanc rationem minime est attributum Dei, quia attributum est perfectio infinite excellens, determinata tamen in esse talis attributi, v. g. iustitia divina, misericordia, & sapientia &c.

104 Ultimo contra solutionem insurgo, quia ex vi essentia entis, & quatenus distinguitur ab ipso vno, & à quocumque alio per rationem excludit suum contradictorium: ergo vnum non est passio entis, sed potius ipsissima essentia entis; antecedens sic patet; quia ens quatenus est tale, & quatenus essentialiter non repugnat existere realiter, constituitur per illam non repugnantiam, seu connotationem existentia, tanquam per differentiam propriam primario, & per se distinctivam entis, à non ente, & à chymera; sed minus primarium differentia est facere differre illud ab alio: ergo illa connotatio existentia, primario, & essentialiter facit differre ens à non ente, seu chymera, quia effectus primarius formæ habet eandem seu similem denominationem, ac sua forma ut album respectu albedinis, calidum respectu caloris: sed effectus primarius alicuius formæ est de essentia primaria illius, de cuius essentia primaria est ipsa forma: ergo si differre est effectus primarius differentia, & differentia illa est de essentia entis: ergo differre à chymera, & à non ente est de essentia entis ut ens est: sed differre à non ente, seu non esse non ens, aut excludere non ens sunt idem formalissime: ergo ens ex vi suæ essentia, & non per aliquid superadditum excludit suum contradictorium; præcipue, quia illud quod ex vno sine aliquo addito transit ad aliud, vel est aliud, non indiget addito ad illud: sed ut ex non ente transcamus ad ens non est necesse ut detur additio supra ens, ut excludat non ens: ergo ens ut excludens non ens non est vnum, quia vnum ut vnum aliquod addit supra ens, siquidem est attributum entis.

SVBSECTIO VII.

Secunda ratio principalis positæ.

105 **Q**uia ratio formalis alicuius est id quod adeo necessarium est ad constitutionem illius, ut neque esse, neque formaliter intelligi possit sine tali ratione formali, & ablato quocumque alio remanet illud tanquam effectus formalis talis ra-

tionis: sed negatio divisionis est huiusmodi; & ablato quocumque positivo addito supra ens manet vnum formaliter: ergo negatio divisionis, & non positivum est formalitas vnius.

Prima pars minoris sic probatur; quia negatio divisionis supra ens immediate constituit ens in esse non plurimum siue in esse non multitudinis: ita ut ex vi entis ut negationis solius fiat non multitudo; & non pluralitas entium; & ex alio capite sine illa nec esse, nec intelligi potest vnum ut vnum: ergo illa est ratio formalis constituenti vnum; quia vnum formaliter est illud, quod tum sit non est plura, nec multa: sed ens ex vi negationis divisionis immediate non est multa nec plura: ergo ex vi illius est vnum formaliter.

Dices illam negationem non posse fundari immediate in ente, sed medio aliquo positivo.

Contra, quia in illo fundatur immediate negatio; quod immediate denominat, & constituit immediate negatum, sicut negatio rationalitatis fundatur immediate in substantia equi; & in essentia lapidis, & negatio creaturæ immediate in essentia Dei, & negatio Dei immediate in essentia creaturæ sine aliquo superaddito; quia illa negatio denominat, & immediate constituit creaturam negatam Deo, Deum negatum creaturæ; contra vero; quia cæcitas non denominat immediate materiam primam, sed oculum ipsius hominis; vel eius organum, & ipsum hominem immediate colligimus illam negationem, seu carentiam non fundari immediate in materia prima; sed in ipsa mediate quantitate; & figura; quæ constituunt organum oculi: sed illa negatio divisionis immediate denominat ens indivisum, & non plura: ergo fundatur immediate in ipso ente.

Dicunt adversarii ex vi negationis immediate fundatæ in ente, non esse positive vnum, sed negative; unde necessarium est positivum, ut positive sit vnum.

Contra, quia hæc est petitio principij, nos enim intendimus probare vnum ut vnum esse negativum: Ipsi Respondent illam negationem non constitutivum vnum positivum, sed negativum: ergo petunt principium. Item quia nulla alia ratione dicimus tenebras esse aliquid negativum, & non positivum, nisi quia eo ipso quod intelligimus negationem lucis in aëre, eo ipso intelligimus illud ut tenebrosum: sed eo ipso quod intelligimus ens non esse plura, & non esse divisum, sed indivisum, & cum negatione multitudinis; intelligimus illud ut vnum: ergo vnum formaliter est negatio, alias sicut fingitur unitas positiva; & negativa, poterunt fingi, & tenebræ positivæ, & negativæ: sed hoc est falsum, quia tenebræ sunt negatio lucis: ergo.

Quapropter remoto ab aëre lumine absque aliquo positivo redditur tenebrosus; quia lumen erat ratio formalis constitutiva illius in esse lucidi, & ablata à subiecto illico resultat in ipsos privatio formæ, quare sicut in aëre non fuit necessarium positivum superadditum ut excluderetur lumen, ita neque necessarium est, ut reddatur tenebrosus, quare tenebræ sunt meræ negationes supra aërem: sed ratio formalis constitutiva ens divisum, & pluriatum, sunt differentia, & modi rerum: ergo ex præciso conceptu avulsionis, & præcisionis ab huiusmodi differentijs, & modis rerum redditur ens vnum, & indivisum;

indivisum, quia autem dicitur quod ens præscindatur à differentiis, & modis rerum additione eget alicuius positivo addito enti est vnum, & indivisum: ergo vnum, & indivisum est formalissime negatio sicut tenebrosus: ergo unitas solum addit supra ens negationem, sicut tenebræ supra aërem. Hinc patet quod cum ens secundum se præscindat à differentiis, & modis rerum, quia non includit illas, secundum se sit indivisum nullo positivo intellectu, & consequenter quod negatio divisionis immediate fundetur in ipso ente.

110 Probatur secunda pars minoris præcipui syllogismi, quia præciso quocumque alio positivo supra ens, manet ens indivisum, quia in ratione entis ut sic communissima superiori omni positivo, non est plures: ergo est indivisum, unde formaliter vnum, & hoc non erit positum; hæc consequentia supposito antecedenti evidens est, quia ideo calor non est ratio formalis dealbandi, nec frigiditas existendi in ordine ad locum, quia licet auferatur calor, manet subiectum album, & licet auferatur frigiditas, manet subiectum extensum; nam si frigiditas esset ratio formalis extendendi, cum esset de essentia extensi, ipsum extensum non posset manere sine illa, quia res non manet sine essentia: ergo si ablato positivo quocumque, ens manet vnum, signum evidens est illud positum, non esse rationem formalem illius.

111 Antecedens sic patet, primo, quia ens ut sic ut supra probatum manet, est superius quocumque positivo, ac proinde illud positivum erit inferius respectu entis ut sic: ergo illud positivum si constituit rationem entis in aliqua unitate, constituet ipsum in unitate inferiori, ipso ente, sicut positivum hominis per quod constituitur homo, in esse vnius inferioris entis ut sic, & ratio evidens est, quia eo modo est effectus formalis, quo est forma illius: ergo si forma est inferior respectu alicuius effectus formalis, etiam erit inferior: sed illud positivum est inferius entis ut sic: ergo constituit in esse inferiori; unde constituet non in unitate transcendentali, quia hoc non est inferior.

112 Secundo probatur, quia positivum illud est posterius, ente nostro modo concipiendi, cum sit attributum entis; sed prius non dependet à posteriori, neque in esse neque in cognosci: ergo potest concipi ens quod prius est sine positivo illo vnius, quod posterius respectu entis; tum sic: sed ens sic conceptum non esset plura in quantum ens, cum in quantum ens sit ratio indivisa, & indivisibilis, quia secundum essentiam entis est convenientia totalis, sine aliqua diversitate differentiarum, quia ens quatenus præscinditur, vel quatenus realiter distinguitur virtualiter à differentiis creati, &c. in illo conceptu essentiali non includit illas differentias, quia omnis differentia est extra rationem essentialem superioris: ergo secundum suam essentiam nullam habet rationem dividendi, & plurificandi illud, quia ratio adæquata plurificandi ens est ratio differentiarum: sed essentia entis, quatenus essentia ut sic est virtualiter, excludit differentias, quia distinguitur ab illis virtualiter: ergo in sua essentia, & ex vi illius excludit divisionem: ergo ex vi suæ essentia, & ablato quocumque positivo quod non sit essentia entis est indivisum, & vnum.

Declaratur hoc amplius, quia ens illud quod constituit Deum, ut Deus est, & de Deo essentialiter prædicatur, & quod est convenientia cum ente quod est in creatura, caret omni imperfectione, ut supra probatum manet: sed divisio in essentia absoluta est imperfectio: ergo illa ratio entis quæ omnia hæc habet, quatenus ens essentialiter erit indivisum; unde illa indivisio non erit per aliquid positivum superadditum supra ens: sed per solam negationem immediate fundatam in ente, & transcendentem ipsam rationem entis: ergo ablato quocumque positivo ens manet vnum, quia manet formaliter indivisum.

SVBSECTIO VIII.

Solutio Patris Vasquez restituitur.

Hanc ultimam nostram rationem P. Vasquez non solum solvebat intendit, sed optime posse retorqueri contra nos ait. Vtrumque præstat hoc modo, primo soluit argumentum concedendo præscindi posse rationem entis ab illo positivo, sed negat tunc provi sic esse vnum, sed potius indifferens ad vnum, & multa, & asserit hoc esse speciale unitatis, quod ipse determinate non recipiatur cum ente, sicut bonitas, & veritas, sed indeterminate aut unitas, aut pluralitas.

Secundo retorquet in fine illius capitis argumentum sic, illa negatio, in qua per te constituitur ratio vnius, cum sit distincta ab ente, potest ab ipso præscindi, & concipi ens in aliquo priori ad illam, & tamen provi sic manet vnum: ergo ratio vnius non potest in illa negatione consistere, quare concludit eodem modo esse solvendum hoc argumentum à nobis, quod scilicet pro illo priori ens non sit vnum, sed indifferens: sed solutio facile rejicitur primo, quia inauditum est ipsam pluralitatem esse passionem entis, sicut est unitas, & ens non determinare unitatem ut constituit infra.

Secundo, quia ex præciso conceptu ablationis formæ ab aliquo subiecto, intelligitur in illo carentia, & negatio talis formæ: sed ens pro illo priori denudatum est à forma divisionis, & plurificationis, quia secundum se concipitur sine differentiis, quæ sunt rationes formales dividendi, & multiplicandi: ergo pro illo priori ens concipitur cum carentia divisionis, & plurificationis: ergo est indivisum, & non plures; falsum ergo est quod sit indifferens ad vnum, & ad indivisionem.

Tertio ex eodem principio argumentor contra te hoc tuum positivum est forma vnius: sed ens per te concipitur pro illo priori, sine hoc positivo: ergo concipitur pro illo priori sine forma vnius, das totum, pergo ulterius: ergo pro illo priori caret forma vnius: ergo pro illo priori caret unitate; sed per te non determinat unitatem: sed est indifferens ad ipsam: ergo pro illo priori caret unitate sine vlla eius exigentia: ergo pro illo priori ens est multa, & plura; patet consequentia, quia multitudo, & pluralitas per te ponitur in negatione unitatis: ergo ens non erit indifferens ad vnum, & multa ut ponis, sed determinate multa pro illo priori, quo concipitur sine unitate.

Quarto duo entia non possunt inter se præscindere, & concipi, quasi indifferencia ad distinctionem,

Quaest. II. Quid addat Vnum supra ens. 241

tionem, vel identitatem, quia istae sunt duae contradictoriae, vel distinguuntur vel non distinguuntur, praeterquam cum a se saltem distinctio ponatur in negatione unitatis; sed contradictorium, una necessario determinate vera est, & altera falsa; ergo non potest sublineri haec indifferentia quam constituit.

119 Quod ut plenius intelligatur, constituas obsecro hic Paulum, & hunc parietem, mente ab illis praescinde hoc positivum, quod in vnoquoque vocas propriam unitatem transcendentalem. Petro a te, an Paulus tuhce distinguatur a pariete, & paries a Paulo, vel non.

120 Hoc secundum non potest dicere, quia supponis esse duo entia, & vnumquodque ratione suae entitatis distinguere ab alio, quia distinctio solam negationem addit supra ens ut tu asseris; praeterea est aperte falsum hominem pro aliquo signo esse identificatum cum pariete.

121 Dabis ergo primum, hinc infero: igitur vnumquodque iam erat vnum: patet consequentia, quia prius est rem esse vnam in se formaliter, quam distinctam ab alia, quia hoc oritur ex illo, ut patet ex definitione vnius: sed pro illo priori Petrus est distinctus a Pariete: ergo pro illo priori est vnus in se formaliter, (ens enim est indivisum in se, hoc est vnum, & divisum a quolibet alio, id est distinctum; unde in definitione vnius prius est unitas quam distinctio) & tamen sine positivo aliquo medio: ergo hoc positivum est impertinens, & sic unitas solum in negatione consistit.

Dices forsitan pro illo signo neque esse distinctos, nec non distinctos, sed praescindere, & indifferentem se habere.

122 Contra primo, quia pro nullo signo Paulus est indifferens, ut identificetur cum pariete: imo pro omni signo repugnat identificari: ergo pro nullo signo est indifferens, quia rei indifferenti non repugnat actus ille, seu exercitium ad quod est indifferens, v. g. animal est indifferens ad essendum rationale, quia rationalitas non illi repugnat; contra vero non potest esse indifferens ad hoc ut sit arbor, quia esse arboris repugnat animali: sed Paulo ex sua entitate, & essentia repugnat identificatio cum pariete: ergo pro nullo signo vel pro nullo priori quo concipitur Petrus, seu entitas illius, potest esse indifferens ad distinctionem, & identitatem cum pariete, sed potius in quocumque signo concipitur Petrus, concipitur ut determinatus ad distinctionem respectu parietis, quia cui in omni signo repugnat oppositum immediatum in omni signo, convenit determinatio ad esse alterius oppositi, v. g. quia Deo in omni signo repugnat mors, in omni signo est determinatus ad vitam, & quia homo est talis essentia ut illi repugnet pro quocumque signo irrationalitas ipsi pro quocumque signo concipitur, convenit determinate rationalitas, & pro nullo signo est indifferens ad irrationalitatem: sed Petro pro omni signo repugnat ratione differentiae essentialis identitatis cum pariete: ergo pro quocumque signo convenit illi determinate distinctio a pariete: ergo pro nullo signo praescindita distinctione respectu parietis, nec est indifferens ad identitatem cum pariete.

123 Contra secundo, quia constituis duas contradictorias, quarum neutra sit determinate vera, neque determinate falsa, videlicet Paulus distinctus a pariete, & Paulus identificatus cum pariete.

guitur pro illo priori a pariete, Paulus, vel Petrus non distinguuntur pro illo priori a pariete: sed per te neutrum est determinate verum, sed praescinditur ergo iam admittis propositiones contradictorias praescindentes a veritate, & falsitate, ac proinde, nec determinate veras, nec determinate falsas.

Porro argumenti retorasio infirma valde nam Respondeo mahere vnum praecisa negatione fundamentaliter proxime, & ita determinatum ad negationem in sequenti immediato signo, resistentem, & non esse indifferens, ut tu asseris, quare necessarium non est, illud positivum ut in differentia entis determinetur ad vnum, & fundet istam negationem.

Praeterea dicat mihi Pater Vasquez, unde colligatur in hoc argumento indifferentia entis ad vnum, & multa; nam ex conceptu praecisionis, & prioritatis respectu negationis in ente, nec leviter deducitur, nisi velit nullam negationem esse determinatam a fundamento, quia quodcumque fundamentum est prius ipsa negatione, & praescindi potest a negatione quam fundat, imo & hoc positivum quod constituit formalitatem vnius apud ipsum prius est negatione divisionis, & praescindi potest consequenter ab illa, ex hoc autem, & ex hac prioritate nullo modo possum arguere dicendo: ergo illud positivum est indifferens ad negationem divisionis, & ad divisionem ipsam, quia licet fundamentum immediatum sit prius prioritate quasi naturae ipsa negatione, nihilominus ex sua natura est determinatum, ut ex tali fundamento resultet talis negatio, quia haec praecisio, & prioritas fundamenti a negatione, & respectu illius non est prioritas aut praecisio rei superioris non connexae cum inferiori: sed potius est praecisio, & prioritas rei, quae connectitur, & determinatur ex vi suae entitatis ad negationem, sicut, v. g. oculus ultimo dispositus ad cecitatem, non est indifferens ad visum, sed potius determinatus est ad cecitatem, & materia prima, quae ratione ultimae dispositionis per quam expulsa est anima rationalis, quatenus secundum se concipitur, cum tali dispositione, non dicitur indifferens: sed potius determinata ad formam cadaveris, etiam si materia prima sit ultimo disposita sit prior natura quam ipsa forma cadaveris: ergo similiter licet ens sit prius natura, quam negatio divisionis, non potest dici indifferens ad illam, & ad divisionem, quia ens est essentia, & negatio divisionis est attributum eius: sed essentia non est indifferens etiam in quantumque prioritate ad attributum, & ad oppositum illius: ergo ens non est indifferens, & ad illam indivisionem.

Sed dicat aliquis eodem modo responderi posse huic rationi, quo respondemus rationi Patris Vasquez, quod scilicet secluso hoc positivo, maneat ens materialiter, seu fundamentaliter vnum, & determinet hoc positivum in sequenti signo, per quod sit vnum formaliter: sed ista responsio non advertit quod si ens secundum se determinat in divisionem, cessat omnis necessitas positivi additi, ut confurgat negatio divisionis: quare haec solutio minime componitur cum positiva Unitate, & devellenda est ex nostra ratione.

Dum autem interrogatur ab Adversariis quid sit illud positivum superadditum supra ens, dicunt esse indefectibilitatem seu integritatem.

Hh Contra,

128 Contra, quia illa integritas, quæ est formalitas vnius debet opponi divisioni, siquidem per te vnum ut vnum opponitur diviso: ergo ipsa formalitas vnius debet opponi divisioni, sicut, quia album opponitur nigro formaliter, ipsa albedo opponitur nigredini: sed illa divisio cui opponitur ultimo formaliter formalitas vnius, est relatio, & integritas non est relatio, quia vnumquodque in se ipso sine ordine ad aliud est integrum: ergo talis integritas erit negatio, ut ex supra dictis patet. Item quia duplex potest concipi integritas, alia positiva, v. g. quæ constat omnibus suis partibus, & de hac non loquimur, quia multa sunt vna, seu habent unitatem transcendentalem, & nihilominus illis repugnant partes, ut est Deus, qui ex vi suæ omnimodæ simplicitatis, excludit à se omnes partes, & idem est in puncto: alia est integritas negativa, id est cui nihil deficit de sua entitate, & hæc est negatio formaliter fundata in propria essentia, & entitate: Vnde si unitas est integritas formaliter, & non est positiva integritas, necessario erit negatio: ergo unitas formaliter constituitur negatione.

129 Et quia de placitis P. Vasquez agimus, opere præterit duxi oppugnare ipsum in eo, quod dicit, nimirum conceptum vnius distingui adæquate à conceptu entis, tanquam quid positivum secutum ad ens, quam impugnationem sic effor-
mo, quia admissa hac distinctione, & constitutis duabus formalitatibus obiectivis, altera entis, altera vnius adæquate distincti, sequitur illum conceptum vnius non posse esse attributum entis: ergo non debet dari distinctio adæquata inter unitatem, & ens. Sequela sic probatur, quia ille conceptus vnius per te est positivus essentialiter, ac proinde est essentialiter ens: sed vnius conceptus entis non est conceptus secundarius entis ut sic: ergo ille conceptus vnius non est attributum, quia attributum est secundarius conceptus. Minor sic probatur, quia quicquid convenit enti ut sic, convenit cuius conceptui entis, ut quicquid convenit animali ut sic, convenit cuius animali: sed ille conceptus si est realis non est extra totam collectionem entis, neque potest esse conceptus secundarius sui ipsius: ergo non est attributum entis ut sic.

130 Confirmatur, conceptus entis, & conceptus vnius sunt per te reales, & distinguuntur in ratione talis entis, sicut animal, & rationale sunt duo conceptus entis realis ratione distincti: ergo neuter illorum est ens ut sic, quia ens ut sic debet complecti omnes conceptus entis: assigna mihi: ergo ens ut sic cuius attributum sit vnum, nam si vnum est conceptus realis, iam includitur in ente ut sic; si autem est privatio, iam unitas constitueretur non positiva formalitate, sed negativa. Deinde unitas est ens vere reale, sicut ens, interrogo vel est vnum, vel plura, vel abstractum ab vno, vel pluribus, secundum, & tertium dici non potest: ergo primum, per quid igitur est vnum formaliter? Dices seipso: cur ergo alter conceptus entis positivus sicut ille, non constituetur vnius seipso; si enim tuus ille conceptus connotat negationem, & ideo est vnius, similiter poterit primus conceptus per seipsum connotare negationem, & esse vnius simpliciter.

SVBSECTIO IX.

Tertia ratio principalis ponitur.

131 Tertio sic argumentor ad hominem: contra Hurtado, & ex proprijs principijs illius, Deus per suam essentiam positivam habet indivisionem in se absque additione positivi formalitatis: ergo hæc non est necessaria ad fundandam illam negationem divisionis ultimæ relativæ, & consequenter vnum nihil positivum addit supra ens; sed meram negationem talis relativæ divisionis immediate fundatam in ente: antecedens admittitur à P. Hurt. imò & probatur, quia eo ipso quod Deus intelligitur summe actualis, intelligitur cum negatione divisionis in se: sed Deus essentialiter absque vlllo positivo addito, habet summam illam actualitatem: ergo absque additione positivi habet indivisionem in se: ergo id quod additur enti ad constituendam unitatem, est negatio.

132 Dices hanc rationem non probare vnum de formali dicere negationem, sed solum non esse conceptum distinctum adæquate ab ente.

133 Sed contra, quia hoc argumentum probare intendimus nihil positivum distinctum ab ente, addi enti, sed solum negationem divisionis; hoc autem evidenter probatur: si quodvis positivum quod datur formalissime fuerit ipsa essentia entis in ipso ente: ergo nullum positivum potest esse attributum, quia ipsa essentia entis formalissime ut talis non potest esse attributum sui ipsius, quia quod additur alicui tanquam passio vel attributum intelligitur saltem metaphysicè resultare à subiecto, vel consequi ad essentiam: sed id quod consequitur, & fluit ab essentia, non debet esse ipsa essentia formaliter, sed metaphysicè extra essentiam, & supponens eam iam constitutam essentialiter: ergo nullum positivum seu reale potest addi supra ens, quod possit esse passio: ergo quicquid additur ut sit passio, debet esse negatio, quia negatio non est ipsissima essentia entis: ergo ex vi huius argumenti, non solum convincitur unitatem non esse conceptum distinctum adæquate ab ente, sed potius quicquid addit supra ens ut inadæquate saltem distinguatur ab ente, non esse positivum, sed negationem, quia quicquid fuerit positivum est intra essentiam entis ut sic, & non est extra essentiam illius, quia ut supra demonstravimus in primario conceptu entis ut sic, includitur omnis conceptus entis, quia est omne ens, sicut in conceptu hominis ut sic includitur primario omnis conceptus hominis, quia homo est omnis homo, unde sicut supra hominem non potest addi, neque adæquate, neque inadæquate conceptus expressus hominis inadæquate distinctus ab homine; ita similiter supra ens ut sic aut supra positivum ut sic, non potest addi aliquis conceptus positivus neque adæquatus, neque inadæquatus, quia per te omnis positivus conceptus includitur in positivo primario; ergo si additur aliquid debet esse conceptus qui sit extra primarium conceptum positivi ut sic: sed non est alius nisi negatio: ergo negatio solum additur supra ens: ergo si in divisio additur positivo ut sic, ut sit attributum illius, talis divisio erit negatio divisionis positivæ, sive illa sit relatio, sive sit multitudo terminata.

Totum

Quaest. II. Quid addat Vnum supra ens. 243

134. Totum hoc argumentum applico ad Deum: eo modo est attributum particularis entis contractum, ac est in communi, & abstractum attributum entis ut sic: sed attributum entis ut sic non addit positivum sed negativum: ergo attributum illud contractum ad Deum non addit in Deo particularem rationem positivam: sed potius negationem particularem immediate fundatam in ipsa essentia Dei, quæ ratione suæ essentiae fundat negationem divisionis in se, seu indivisionem.

135. Respondeo Deum ratione suæ essentiae, & actualitatis summæ materialiter esse vnum non formaliter, quia in primo conceptu non explicatur essentia cum connotatione ad divisionem in se; in secundario autem additur connotatio fundata immediate in essentia.

Sed contra primo, quia hac solutione non solvis argumentum, nam eo modo constituitur particulare ens in esse vnius transcendentaliter, quoad formalitatem expressam, quo constituitur in communi ens in esse vnius transcendentalis: sed si illa connotatio ut sic est positiva, & realis, non potest addi enti, quia ens est omne reale: ergo neque in Deo connotatio particularis constituitur ipsum in esse vnius transcendentalis, potest esse positiva, sed potius erit negatio particularis, excludens divisionem positivam: ergo quacumque à te data solutione remanet in suo robore argumentum nostrum.

136. Secundo contra te sic insurgo, quia ex sua solutione concludo vnum formaliter supra Deum addere solam negationem; nam quod materialiter est tale, fundamentaliter etiam est tale: sed Deus ratione suæ essentiae, & actualitatis summæ est materialiter vnum: ergo fundamentaliter vnum: ergo seipso absque additione positivi est fundamentum indivisionis: sed indivisio est negatio primario relationis divisionis, secundario negationis: ergo unitas primario est negatio positivi, & secundario negat negationem: ergo unitas non est positiva formalitas: sed potius negativa, & hæc impugnatio amplius patebit ex ultimo argumento pro nostra conclusione, ubi probabitur posse dari aliquam negationem, quæ etiam si aliquo modo neget aliam, non desinat esse negatio primario, & formaliter.

137. Tertio contra, per te connotatio hæc est ipsa formalitas vnius; de ipsa interrogo quid sit? nam quodcumque positivum cum habeat esse, habet etiam definitionem per quam explicetur: explica ergo mihi quid sit illa.

138. Hoc difficillimum est explicata, & sic fatetur ipse Hart. *in intro subiectionis tertia*; sed quid mirum, quod difficile explicetur quod impossibile est in se, imo quod omnino chimericum, sine fundamento, quia connotatio illa videtur esse relatio, & respectus, & tunc vel realis, vel rationis; si rationis non ad rem, quia hic non interrogamus de ficta constitutione vnius, uti est relatio rationis; si realis, imprimis absurdum est unitatem ponere in respectu, quia vnum in se, & respectu sui vnum est, unde absolutum est. Deinde non potest esse realis relatio defectu existentiae terminorum realium, & positivorum respectus rationis non est ad rem, quia ens non est vnum per rationem, nec tu ponis ens adæquate distinctum ab vno, quod requiritur, quod si unitas consistet in relatione rationis, quia cum ens reale non transcendat ens rationis, distingueretur adæquate ab ipso: ergo.

R. P. Joseph de Peñañel, Theol. Schol. Tom. I.

Præterea si ens ratione sui determinate fundat

139 istam connotationem, quicquid illa sit: quare non poterit determinate, & immediate fundare negationem divisionis, præsertim cum respectus hic quem nec connotatio adferre videtur, supponat ens (cum hac negatione divisionis) tanquam fundamentum, quia refert ipsum ens ad divisionem, non admittendo ipsum; sed potius excludendo, & negando, ut supra ex Divo Thoma animadverti: ergo supponit ens affectum, hac negatione divisionis, ut ipsum referat ut indivisum, & excludens divisionem, quo argumento probatur in materia de Trinitate innascibilitatem, non in positivo respectu Fontanalis principij, ut sanctus Bonaventura asserit, quem sequitur Pater Vasquez; sed in negatione productionis ab alio formaliter consistere, quia videlicet hic respectus fontanalis principij, cum esset ad aliud prius, & non admittendo ipsum, sed negando, & excludendo ut constat, quia Pater æternus non admittit aliud principium prius à quo producat neccessario hic respectus Fontanalis principij, supponit in æterno Patre negationem productionis ab alio fundata immediate in ipsa paternitate divina, quare respectus Fontanalis principij, non est fundamentum negationis innascibilitatis, ipsamque præcedit.

140 Sed contra, negatio innascibilitatis fundamentum est respectus Fontanalis principij, ipsumque ens intelligibiliter antecedit, atque hinc concluditur patrocinatibus Doctoribus Theologis, Scotistis, & Thomistis, innascibilitatem consistere in negativo: unde si recte ponderetur huius connotationis conceptus, tanta est cum exemplo paritas, ut sine dubio impossibile sit inveniri discrimen; nam ista connotatio refert ens ad divisionem, sicut Fontanale principium ad aliud prius, & non admittendo divisionem, sed negando eam, & respondendo, sicut respectus principij primi in Trinitate refert æternum Patrem ad aliud prius principium, non admittendo ipsum, sed negando, & excludendo: ergo si respectus, & connotatio primi principij in Trinitate supponit negationem productionis ab alio, ita hæc connotatio entis ad divisionem, supponit in ipso ente negationem ipsius divisionis: ergo sicut ex hac ratione antecedentiæ colligit Theologus innascibilitatem non in positiva connotatione, & respectu ad aliud prius principium, sed in negatione eius consistere debet metaphysicus, ex eadem ratione antecedentiæ unitatem non in positiva connotatione ad divisionem, sed in negationem eiusdem divisionis consistere, præsertim cum ipsum ens ex se, & ex sua essentia, prout virtualiter distinguitur à differentiis, determinet hanc negationem divisionis, in quo etiam, quamvis infinito distet intervallo, aliquo modo imitatur exemplum dictum.

SVBSECTIO X.

Quarta Ratio principalis ponitur.

141 O Varro sic argumentor, quia si propter aliquam rationem deberet esse positivum illud, quod addit vnum, indivisio nimirum, maxime quia est negatio negationis, aliquo modo essentialiter, & negatio negationis necessario debet esse positivum: sed bene potest dari negatio negationis aliquo modo

H h 2 modo

modo essentialiter, quæ non sit essentialiter formaliter negatio, dum tamen non sit primario negatio negationis: ergo falsum est fundamentum. Maior est ipsa sententia adversariorum: minor sic probatur, quia tenebræ sunt conceptus negativus, & cæcitas etiam: sed cæcitas est negatio tenebrarum; item negatio Dei est negatio negationis hominis, & nihilominus non sunt positiva: ergo etiam potest dari negatio negationis formalis aliquo modo, dum tamen non sit primario negatio negationis: sed primario positivi, quod autem sunt negationes negationis, sic probatur, quia hoc est verum dicere cæcitas non est tenebræ, tenebræ non sunt cæcitas: item negatio Dei non est negatio hominis, siquidem possunt separari ab eodem subiecto, imo separantur de facto, & coniunguntur, & etiam in vno subiecto, non in homine datur negatio Dei, & non datur negatio hominis, in Angelo autem reperitur negatio Dei simul cum negatione hominis: ergo una negatio est negatio alterius, siquidem cæcitas non solum negat visum: Sed etiam negat tenebras; imo essentialiter negat tenebras, quia in primo conceptu cæcitas est negatio tenebrarum, & cæcitas ut cæcitas, & ut distinguitur à quocumque positivo, non est privatio lucis, sed visus; unde in suo conceptu negat privationem lucis: ergo sub ultimo conceptu negationis, est negatio negationis, nec potest dici quod est positivum, quia tenebræ adæquate sunt carentia lucis; unde adæquate est negatio: & præterea quia in negatione non datur positivum, ut pro constanti habetur apud omnes, præcipue cum unaquæque res ex vi suæ essentiae distinguatur ab alia, quia cæcitas ut cæcitas est, v.g. sine aliquo addito distincto positivo à se essentialiter, distinguitur à tenebris, ut homo sine aliquo addito distinguitur essentialiter ab equo; imo si per aliquod additum distingueretur, non esset distinctio essentialis, quæ petit necessario esse per prædicata essentialia, sed esset entitativa, & per additum, sicut homo albus distinguitur à se ipso, ut infirmo, non essentialiter, quia est per aliquod additum extra essentiam: ergo si cæcitas in quantum negatio distinguitur essentialiter à tenebris, & distinctio est negatio illius: ergo ex vi suæ essentiae negat cæcitas tenebras: ergo una negatio potest esse negatio alterius negationis, manendo in esse formali negationis.

¹⁴² Dices negationem illam, quæ constituit vnum, non quomodocumque esse negationem negationis, sed primario, & ideo esse positivum.

¹⁴³ Sed contra, quia falsum est hoc, nam negatio illa quæ formaliter constituit vnum, est primario negatio positivi, scilicet divisionis formalis, quæ divisio formaliter sumpta est relatio; relatio autem positivum quid est, & sic talis negatio primario non negat negationem: sed positivam entitatem respectus, ut nuper longe demonstratum manet.

SVBSECTIO XI.

Ultimum argumentum principale ponitur.

¹⁴⁴ **P**ater Hurtado disp. 4. de unitate reali in met. sect. 2. explicans quid sit indivisio, quam addit unitas supra ens, sic ait §. 46. hinc patet quomodo unitas sit attributum entis, negatio autem quam

dicit indivisum, non est ipsa indivisio, quia hæc est positiva unio: sed est divisio cui opponitur, sicut non tenebræ dicunt negationem non in recto, & in ipsa luce: sed in obliquo commotam, tanquam contradictorium; quia negatio sunt tenebræ: sic P. Hurtado, itaque in sententia huius Authoris id cui opponitur indivisio, est contradictorium unionis, id est non unio, quia ut ipse Hurtado expresse docet, indivisio est positiva unio: ergo de primo ad ultimum, sequitur ex tua sententia ens ut sic esse vnum, quia dicit unionem: sed hoc est falsissimum: ergo falsa est tua sententia; maior est certa, ut patet ex illis verbis; negatio autem quam dicit indivisum non est ipsa indivisio, quia hæc est positiva unio, itaque in tua sententia unio, & indivisio sunt idem: ergo si vnum constituitur per indivisionem constitueretur sine dubio per unionem.

Minor sic probatur, quia quicquid convenit superiori, convenit omni contento sub illo; sed ens ut sic quatenus vnum, est superius respectu Dei, & creaturarum: ergo quicquid convenit enti ut sic, constituendo ipsum, convenit etiam Deo ut constituat ipsum in esse vnus: sed falsissimum est dicere Deum constitui unionem in esse vnus transcendentaliter: ergo falsum est dicere ens ut sic constitui in esse vnus per unionem, seu indivisionem positive sumptam: totus primus syllogismus est textus, innititur enim principio illo evidentissimo *dici de omni*, id est, quicquid dicitur realiter de superiori, dicitur realiter de omni contento sub illo; unde quia de ente dicitur quod sit verum, etiam dicitur de Deo; & creatura, & quia de homine prædicatur risibilitas, prædicatur etiam de Petro, & Paulo, &c. ergo quicquid convenit enti ut sic, constituendo ipsum in esse vnus, convenit etiam Deo, ut constituat ipsum in tali esse.

Minor secunda est manifesta, quia illi enti convenit unio, quod habuerit partes unitas inter se, & quod fuerit compositum: sed Deo repugnat omnino habere partes inter se unitas, & esse compositum realiter, ut dicit catholica sanctum est: ergo repugnat Deo omnis unio realis: ergo falsissimum est dicere Deum constitui in esse vnus transcendentaliter per unionem realem, alias Deus non esset simplicissimus, quod est hæreticum, siquidem non quomodocumque simplex est: sed potius omni simplicitate decoratur.

¹⁴⁷ Vergetur, quia ens ut sic, abstrahit ab omni particulari ente: ergo abstrahit ab ente composito, & simplici: ergo in se neque habet compositionem neque simplicitatem, & nihilominus ens ut sic est vnum, & non præscindit ab unitate adæquate sumptum ens, quia unitas est attributum illius: ergo unitas ut sic, quæ est attributum entis, non est indivisio, quæ sit vnio: ergo alia indivisio est qua constituit ens in esse vnus.

Dices ens ut sic non negare unionem, sed præscindere ab ipsa, ac proinde esse vnum.

¹⁴⁸ Sed contra primo, quia licet non neget unionem, saltem non affirmat illam, v.g. animal ut sic, licet non neget rationalitatem, nihilominus non affirmat rationalitatem, & ideo dicimus animal de se non esse hominem: tunc sic, ut detur aliquis effectus formalis positivus, necessario debet dari forma positiva talis effectus, & non sufficit ad illud præscindere à tali forma, etiam si non neget illam, quia forma est de essentia effectus formalis: sed effectus formalis non potest præscindere

Quæst. II. Quid addat Vnum supra ens. 245

149 à sua essentia, alias idem præscinderet à se ipso: ergo effectus formalis non solum potest non negare formam per quam essentialiter constituitur: sed etiam potest positive habere formam; alias homo secundum se esset Petrus, quia licet præscindat à petreitate, non negat illam: atqui homo minime secundum se est Petrus, quia ex eo quod præscindit à Petreitate non includit illam positivè; quod requiritur necessario ut homo redderetur Petrus per petreitatem.

150 Sed ens licet non neget unionem, quia præscindit ab illa non continet illam formalissime: ergo ens non est vnum, quia vnum est effectus formalis per te unionis: sed non potest negari quod sit vere vnum: ergo vnum non est effectus formalis unionis, neque constituitur in tali esse per unionem positivam, seu per indivisionem quæ vniōis: sed potius per negationem, vel multitudinis, vel relationis divisionis.

Secundo contra, & per impossibile supponamus subiectum illud posse esse vnum, licet præscindat ab unionem, ex eo quod non neget, & excludat unionem, & neget illam; itaque si negaret unionem, & non solum præscinderet ab unionem per repugnantiam respectu unionis, nullo modo esset vnum transcendentaliter.

151 Tunc sic, Deus non solum præscindit ab unionem, sed potius omnino negat illam; item Angelus in ista essentia quatenus distinguitur à substantia negat etiam unionem, quia Deo in omni conceptu ipsius repugnat omnino vniōis inter partes ex vi simplicitatis divinæ; Angelo autem repugnat in essentia vniōis: ergo Deus, & Angelus nullo modo habent unitatem transcendentalem, quia cui repugnat ratio formalis, repugnat omnino effectus vel quasi effectus formalis illius: sed Deo, & Angelo repugnat vniōis quæ per te est indivisio constitutiva per modum rationis formalis unitatis transcendentalis: ergo repugnat illis unitas transcendentalis, quæ est quasi effectus formalis talis unionis, aut indivisionis.

152 Dices unionem non esse indivisionem constitutivam unitatis in omni ente: sed solum in composito, ac proinde bene posse esse ens ut sic vnum, sine unionem, & idem est de Deo, & Angelo.

153 Contra primo: ergo male asseris, dicendo universaliter §. *supra citato*, attributum entis, quæ est unitas, constitui per indivisionem, quæ est vniōis, quia propositio indefinita, ex eo quod æquivalat universalis, in prædicatis necessariis & essentialibus, falsificatur ex quacumque exceptione, & ex quocumque singulari falso: sed falsum est dicere, ut tu nunc asseris, Deum, & Angelum esse vnum per unionem; imo de ipso ente asseris non esse vnum per unionem in hac ultima solutione: ergo falsa est hæc propositio: omne vnum essentialiter constituitur per unionem: sed indefinita habet eandem veritatem, & falsitatem, quam habet universalis: ergo hæc propositio attributum entis, quod est vnum, constituitur per indivisionem, quæ est vniōis, erit falsa, quia est de prædicatis necessariis.

154 Secundo contra: ergo si indivisio ut sic sive unitas non est vniōis, dicas mihi quid sit in omnibus entibus, & in ente ut sic. Respondet Hurt. in fine §. *ergo res*, rem esse vnam per suam entitatem simplicem, vel per unionem suarum partium, quod §. *2. disp. 4. §. 2. deducitur*, amplius explicans hoc negotium, sic ait: Secundo deducitur in rebus simplicibus earum unitatem esse adæquate idem cum

earum essentia, ut unitas puncti cum puncto, quia unitas est omnium maxima, quia maxime distat à divisione constituyente pluralitatem, quapropter Deus est verum omnium maxime unus, quia maxime distat à divisione, & compositione, composita enim non sunt tam vnum quæ pluralitatem includunt parti in qua faciunt compositionem vnum per unionem. sic Pater Hurt.

Sed hæc responsio multis peccat, & sic sensim, aut paulatim debet impugnari quod in hunc modum fit.

Primo, quia hæc responsio non solvit totam meam difficultatem; nam primo, & principaliter interrogavi per quid constituatur vnum ut sic, vel ens ut sic in esse vnius, quia ens ut sic non potest constitui in esse vnius per compositionem aut simplicitatem, quia ens ut sic abstrahit à simplicitate, & compositione, & sic est indifferens ad utramque: ergo neque habet simplicitatem, neque compositionem, quæ sunt differentiæ oppositæ constituentes oppositas species entium, scilicet ens simplex, & ens compositum; cum autem ens ex eo quod præcise est ab omni differentia, nullam includat, inde est quod ens ut sic non debeat includere simplicitatem, & compositionem; sed potius debet præscindere ab utraque, sicut præscindit à perfectitate, & inalicitate, quia sunt differentiæ constituentes diversa genera entium inferiora ente: ergo sicut non potest constitui ens in aliquo attributo per perfectitatem aut inalicitatem, quia sunt differentiæ à quibus præscindit ens, ita similiter non potest constitui in esse vnius quod est attributum entis per simplicitatem, vel compositionem, quia sunt differentiæ etiam inferiores, constituentes varia genera entium, à quibus necessario præscindit ens; ergo per aliud constituitur ens ut sic in esse vnius quod in tua solutione non dicis: ergo maneam, & defectuosam responsionem tribuis, siquidem non respondet principali quæsitio, videlicet quid sit indivisio per quam constituatur ens ut sic, propter abstrahit ab ente simplici, & composito in esse vnius, nec potest dici quod ens ut sic constituatur in esse indivisi, & vnius per rationem abstractam à simplicitate, & compositione secundum explicitas rationes illarum.

Quia à duabus differentiis oppositis secundum explicitum earum, nihil potest abstrahi commune quod conveniat enti ut sic, tanquam attributum illius: sed simplicitas, & compositio sunt differentiæ oppositæ contrahentes ens ut sic; ergo nihil potest abstrahi ab illis secundum explicitum, quod possit convenire enti ut sic, & constituere ipsum in esse vnius. Maior est evidens: ideo à perfectitate, & inalicitate non potest abstrahi quoad explicitum earum aliqua ratio, quæ conveniat enti ut sic, & constituat aliquod attributum entis, quia perfectitas, & inalicitas sunt differentiæ ita oppositæ quoad explicitum, ut in vlla ratione quoad explicitum conveniant, unde differentiæ oppositæ ut sunt perfectitas, & inalicitas solum conveniunt in confusa ratione quæ includitur in illis, scilicet in ente; unde ab illis solum potest abstrahi ratio entis confusa inibita in ipsis; præter rationem autem entis nihil reperitur in ipsis quod sit convenientia ipsarum, & tribuat fundamentum intellectui ut præscindat ab illis aliquid distinctum ab ente, & quod possit esse secundarius conceptus entis, quia in explicitis rationibus solum datur simplicissima ratio oppositionis, & differentiæ, &

Hi 3 sic

sic in nulla ratione quoad explicitum conveniunt: ergo nihil reperitur in explicato earum quod possit abstrahi ab illis, & hoc non solum convenit perfectitati, & inaleitanti, sed etiam omnibus differentiis essentialibus, à quibus nihil potest abstrahi quod conveniat superiori tanquam passio aut attributum illius; quapropter nullus est qui asserat à rationali, & irrationali posse abstrahi quoad explicitum aliqua ratio, quæ possit esse secundarius conceptus animalis, aut viventis, aut substantiæ, & ratio à priori est, quia quoad explicitum sunt adæquate differentiæ oppositæ, quod non ita contingeret si convenirent quoad explicitum in aliquo conceptu qui possit abstrahi ab illis ut sic.

157 Sed simplicitas, & compositio sunt ita oppositæ differentiæ constituentes oppositas species essentialiter distinctas, ut quoad explicitum simplicitatis, & compositionis in nihilo conveniant quod abstrahatur commune, quodque possit esse attributum, & secundarius conceptus entis ut sic: ergo nihil est quod possit esse attributum entis ut sic, & secundarius conceptus positivus entis: patet hæc consequentia, quia ens ut sic non constituitur in attributo sibi adæquato per simplicitatem, & compositionem, quia ens ut sic abstrahit ab illis ut differentiæ sunt: sed neque continet simplicitatem neque compositionem aut simul, aut divisim, aut disjunctive, aut collective, quia nulla ratio superior, & communis secundum se includit in suo conceptu formali differentias quoad explicitum earum, alias non posset præcendi simpliciter, & absolute, imo licet confuse contineret differentias, non sufficeret hoc ut constitueretur per illas in esse unius, quia ens ut sic non solum confuse est unum in suo conceptu præciso, sed etiam explicitè est verum, & bonum: sed explicitus effectus formalis petit explicitam formam, quia forma est de expresso, & explicito conceptu effectus formalis: unde eo modo quo est forma in subiecto, ita constituitur effectus formalis, neque aliter potest constitui effectus ac talis forma est in illo, quare si forma est confuse, & non explicitè effectus formalis debet esse confusus, & non expressus: sed ens non habet simplicitatem expresse, & compositionem expresse, sed tantum confuse: ergo tales differentiæ non possunt constituere expresse ens in esse unius, quod est effectum formale talium differentiarum; solum enim confuse erit unum si ab illis constituitur in esse unius, ut v. g. quia perfectitas, & inaleitas constituunt substantiam, & accidens, & non continentur expresse sed solum confuse in ente, constituunt ens expresse propterea hoc nomine significatur in esse substantiæ, & accidentis, sicut propter eandem rationem non constituitur ens in esse hominis, & bruti quoad expressum, sed solum confuse: sed ens adhuc in quacunque præcisione conceptum expresse est unum verum, & bonum, & expresse prædicantur de ente, hæc attributa, & non solum confuse conveniunt illi talia attributa: ergo non constituitur ens in esse unius per simplicitatem, & compositionem, secundum expressum earum, quia secundum expressum non continentur in ente.

158 Sed neque constituitur in esse unius per aliquod confusum earum, vel per aliquid quod ab illis quoad expressum commune abstrahitur: ergo minime constituitur in esse unius per simplicitatem, & compositionem, nec per aliquid illarum.

Ergo constituitur ens in esse unius per aliam formalitatem distinctam, seu omnino diversam ab illis, qualis ea est quæ nos assignamus, scilicet negationem divisionis ultimo formaliter aut primo fundamentaliter: secunda pars illius minoris est evidens ex supradictis, quia quoad expressum earum nihil abstrahitur: prima pars minoris etiam patet, quia nihil est confusum in simplicitate, & compositione, nisi ratio entis quæ transcendit differentias, & in illis confuse imbibitur: sed ens non potest sui ipsius esse attributum, quia idem omnino non est secundarius conceptus sui ipsius: unde nemo potest dicere ens esse attributum entis, quia iam non tria attributa, sed quatuor assignarentur, & quod maius est idem omnino sine ulla diversitate ex parte obiecti, neque adæquate, neque inadæquate per solam replicationem eundem nominis, esset attributum, & essentia simul.

Tunc sic ergo in particularibus nullum potest 160 constitui in esse unius per simplicitatem aut per compositionem: patet evidenter, quia per id constituitur attributum ut sic entis, quod abstrahitur à particularibus unitatibus, sicut per id constituitur verum ut sic, quod abstrahitur à veritatibus particularibus, sicut per id constituitur ens ut sic, quod fuerit abstractum à particularibus entibus, & ratio est manifesta, quia nihil est ratio superior, nisi id quod contrarium erat in inferioribus, & abstrahitur ab illis per convenientiam, quam habet inter se in illa ratione; sed nihil est commune quod possit abstrahi neque confusum, neque clarum à simplicitate, & compositione, quod possit esse attributum entis: ergo simplicitas, & compositio non est id per quod constituitur particularia entia in ratione unius, quia si simplicitas, & compositio constituerent particularia entia, daretur in illis convenientia quæ abstracta ab illis constitueret ens in esse unius: sed nihil est in quo conveniant, & possit abstrahi, &c. ergo simplicitas, & compositio non constituunt Deum, hominem, & Angelum unitatibus transcendentibus.

Explicatur à contrario sensu, ideo nos dicimus 161 posse convenire Deum, hominem, & Angelum in unitatibus, quia habent negationes divisionis in seipsis, quæ conveniunt in ratione negationis divisionis ut sic, quæ abstracta potest constituere ens in suo attributo; nam sicut essentia ut sic abstrahitur ab omnibus essentis, & sic abstracta est ens ut sic, ita similiter unum ut sic quod est attributum entis, seu constitutum unitatis ut sic, debet esse ratio abstracta ab omnibus unitatibus particularibus, seu à particularibus constitutivis unitatum particularium: sed nihil est quod possit abstrahi à simplicitate, & compositione, quod possit esse attributum entis propter rationes dictas: ergo simplicitas, & compositio non possunt constituere entia particularia in unitate transcendentali: ergo neque Deus est unus transcendentali per simplicitatem, neque homo per compositionem: ergo per negationem divisionis constituuntur.

Dices simplicitatem, & compositionem 162 venire etiam in alio conceptu, scilicet in conceptu differentiæ ut sic, ac proinde abstrahi ab illis talem conceptum, qui possit esse attributum unitatis.

Sed contra manifestè, quia unitas ut sic in suo primo conceptu non est differentia aut distinctio ut sic, & ideo unitas ut sic non est relativus conceptus

Quæst. II. Quid addat Vnum supra ens. 247

ceptus sed absolutus; nam vnum ad se est vnum, & non ad aliud: sed differentia ut sic est conceptus relativus, quia omne quod differt ab alio, est non à se ipso, quare differens est ad aliud sicut diversum, dissimile, & oppositum; ergo sicut neque diversitas, neque dissimilitudo, quia conceptus relativi sunt; & non absoluti non possunt constituere unitatem ut sic, quia unitas ut sic est conceptus absolutus; ita similiter differentia ut sic non potest constituere unitatem ut sic propter eandem rationem; quod adeo verum est ut unitas ut sic potius dicat negationem relationis in se ipso, quam dicat talem relationem: ergo differentia ut sic quæ abstrahitur à simplicitate, & compositione non potest constituere ens ut sic in esse vnius: ergo neque simplicitas, & compositio possunt constituere particularia entia in esse vnius.

164 Deinde, quia à differentia ut differentia est, & à diversitate, & ceteris abstrahitur conceptus distinctionis ut sic, quia diversitas, & differentia proprie sumptæ conveniunt in hoc quod est distinguere, & sic sunt species distinctionis ut sic, quare distinctio ut sic contracta per distinctionem essentiali est differentia essentialis; unde idem est synonyme distinguere, ac differre essentialiter, sicut distinguere individualiter, & differre individualiter sunt idem synonyme.

165 Atqui distinctio seu divisio ut sic à quolibet alio est vel secundarius conceptus unitatis ut sic, & sic vnum ut sic definitur primario, dicendo est indivisum in se, & secundario est divisum seu distinctum à quolibet alio, vel est conceptus, aut formalitas omnino distincta ab unitate, quare nullus hucusque dicit unitatem esse divisionem seu distinctionem; sed potius omnes assentunt esse indivisionem, & indistinctionem: ergo differentia seu distinctio ut sic quæ abstrahitur à simplicitate, & compositione non potest constituere ens in esse vnius, sed præter hanc rationem, & præter rationem entis quæ nullo modo constituunt ens in tali attributo non habent convenientiam, quæ possit abstrahi ad constituendam unitatem ut sic: ergo tales differentie simplicitatis, & compositionis nullo modo possunt constituere unitates transcendentales particularium entium.

166 Secundo contra, quia per te res simplex est una per entitatem, & essentiam simplicem: ergo vel res simplex, quatenus essentialiter, talis entitas est, & quatenus ex differentia particulari simpliciter constituitur in esse talis entis, constituitur etiam in esse vnius formaliter vel non; nisi per aliud quod se habet ut quid superadditum essentia simplici, hoc secundum non videtur dicere P. Hurt, sed potius primum, quia *sect. 1. §. confirmatur*, sic ait: ergo punctum per suam essentiam est indivisum, & *sect. 2.* sic dicit: in rebus simplicibus earum unitatem esse adæquate idem cum earum essentia, ut unitas puncti cum puncti essentia, quod clarius dixit *sect. illa 2. §. difficilior* ibi: Difficilior, inquit, mihi est probare distinctionem unitatis ab ente, & eius attributionem, quam affirmare eam esse positivum conceptum; hac de re dum constet, non multum interest eam esse attributum aut essentiam.

167 Sed in hoc sensu oppugnat Hurl. sic per te unitas entis particularis simplicis puncti, nimirum animæ rationalis, Angeli, & Dei, est eius

essentia, quia essentia eorum, est eorum simplicitas; sed essentia Angeli; v. g. est primarius conceptus Angeli: ergo essentia Angeli non est unitas ipsius; patet consequentia, quia unitas per te non est essentia; sed attributum entis ut tu asseris *disputatione tertia, de entis attributis, sect. 2. §. 8.* quia tu asseris attributum non esse primum conceptum rei sicut est essentia; verba enim tua hæc sunt formaliter. *De numero attributorum entis diversa sunt opiniones, mihi placet Fonseca dicens: attributa simplicia esse tria, nempe vnum, verum, & bonum: sed attributum est secundarius conceptus rei, & supponens primario rem à qua derivatur, ut tu asseris disp. 3. sect. 1. in fine, his verbis: attributa autem vocantur, quia attribuntur primario conceptui, tanquam rationi à qua derivantur, & in principio illius sectionis sic ais, attributum est conceptus secundarius, & consequens primo: sed essentia Angeli, & animæ rationalis sunt primi conceptus illorum, nullum alium primum supponentes à quo deriventur: sed potius ab essentia tanquam à primo conceptu derivantur reliqua: ergo unitas quæ est attributum non est essentia Angeli.*

Deinde, quia quicquid convenit superiori, & eo modo quo convenit illi primo intentionaliter debet contractum convenire omnibus inferioribus, v. g. quia bonitas, & veritas, quatenus attributa entis non sunt conceptus primarij entis, sed secundarij, supponentes primum scilicet ipsam essentiam entis, & sic secundario conveniunt enti, quod est superius Angelo, animæ, & ceteris omnibus inferioribus, eodem modo secundario, & ut attributa conveniunt illis: sed unitas est attributum entis ut sic, & illi convenit ut secundarius conceptus extra essentiam ipsius: ergo unitas debet convenire omnibus inferioribus eodem modo secundario, & attributaliter, quia quod est attributum in superiori passio, aut proprietas illius contractum in inferiori non est essentia inferioris, sed potius est attributum illius; v. g. quia risibilitas est passio hominis ut sic contracta ad Petrum non est essentia Petri, sed potius passio ipsius; unde bonitas ut sic, aut veritas nullo modo possunt esse de essentia entium particularium: sed per vos unitas est attributum entis, & secundarius conceptus entis ut sic, & non est de essentia entis ut sic: ergo nec potest esse essentia talis entis seu Angeli, sed potius erit attributum illius, & extra essentiam ipsius tanquam secundarius conceptus illius.

Declaratur amplius, quia id quod constituit essentialiter aliquod particulare ens, supponitur ad constitutionem unitatis, quia essentia supponitur ad passionem: ac proinde unitas non est tale prædicatum essentialiter; sed compositio est de essentia entis particularis: ergo compositio non potest esse unitas: maior est evidens, ut patet ex dictis; minor est clarissima, quia ens compositum, v. g. homo essentialiter constituitur per unionem: ergo unio est de conceptu essentiali hominis quod est tale ens: ergo unio est prædicatum essentialiter talis entis quod amplius patet, & evidentijs probatur; nam omne id prædicatum, quod distinguit hominem vivum ab homine mortuo, seu à non homine est de essentia primaria hominis: sed homo vivens per solam unionem animæ & corporis, est vivens, & distinguitur à mortuo, quia per solam ablationem unionis moritur homo, & sic non est vivens: ergo unio constituit hominem essentialiter. Deinde

de, quia res composita essentialiter differt à re simplici, ut est Angelus per compositionem: ergo constituitur essentialiter per compositionem, quia per id constituitur essentialiter per quod distinguitur essentialiter ab alio: sed compositio est vnio: ergo per unionem constituitur res composita essentialiter: ergo compositio non est vnitas entis particularis, quia vnitas non constituit essentialiter ens particulare, ex eo quod sit attributum, & secundarius conceptus entis particularis.

170 Vergetur, nam in huiusmodi ente quod per compositionem fit, quicquid positivum physicum considerari potest, pertinet ad rationem entis ut tale ens est, etiam si ratione præscindatur à conceptu vnus, ut in humanitate vnio animæ, & corporis est de ratione essentiali talis entis, ut tale ens est specificative, & in re ipsa, & similiter in linea vnio partium in puncto est de ratione entis, ut est in tali specie quantitatis continua: ergo omnis etiam ratio positiva metaphysica, quæ in tali vnione physica fundatur, pertinet formaliter, & secundum rationem ad rationem talis entis, non quatenus concipitur vnium, sed quatenus formaliter contractum seu determinatum in ratione talis entis: ergo ratio vnus nihil positivum addere potest, etiam ratione distinctum. Tercio id explicatur in entibus simplicibus, in quibus perfectior videtur esse vnitas, imo ipsa simplicitas videtur esse maxima vnitas: sed simplicitas de formali non dicit rationem positivam, etiam sola ratione distinctam ab ente simplici, & à perfectione, quæ in ratione entis, seu talis in eo concipitur, adeo ut etiam in Deo iuxta probabiliorem Theologorum sententiam, simplicitas ut sic nihil addat Deo perfectionis, etiam secundum rationem supra perfectionem summæ actualitatis eius, in qua negatio illa fundatur, quam simplicitas exprimit: ergo multo minus vnitas ut sic, potest dicere rationem positivam, & hæc conclusio amplius patebit ex sequentibus, & ex solutionibus argumentorum.

171 Deinde, quia essentia Angeli, & vnio substantialis in homine, & accidentalis in quantitate solum conveniunt formaliter in ratione entis realis, cum nulla detur alia convenientia, in qua conveniant illæ rationes quæ in sententia Hurr. sunt vnitates Angeli, hominis, & quantitatis, quia tam diversa entia, ut sunt modus substantialis, modus accidentalis, perfectissima entitas Angeli, & essentia illius non possunt in aliqua alia minus universali, & minus remota convenire: ergo ab illis sola formalissima ratio entis realis potest abstrahi: sed vnitas ut sic, quæ est attributum entis est ratio communis abstracta ab vnitatibus particularibus: ergo vnitas ut sic est ens ut sic formalissime: ergo vnitas est ipsa ratio entis: ergo non attributum sed est falsum: ergo vnitas non est ratio abstracta ab illis, sed ab alijs particularibus rationibus: ergo vnitates particulares non sunt in Angelo sua essentia, in homine sua vnio, & in linea puncta.

172 Confirmatur, quia si vnitas compositi est vnio: ergo vnitas compositi distinguitur realiter à composito: ergo non est attributum illius, nec vnum erit transcendens, quia in sententia Hurr. vnitas quæ est attributum entis non distinguitur realiter ab ente, cuius attributum est, ut probat ipse *disp. 3. de entis attributis, sect. 1. conclusio*.

claus. seu Dico 1. his verbis [quia attributum pro formali est idem à parte rei cum essentiali: sed negatio, & privatio non sunt idem à parte rei cum ente: ergo negatio, aut privatio non sunt entis attributa.] Deinde *sect. 2. conclusio seu Dico 4. dixit* conceptum entis includi in attributo: consequentia illa patet, quia vnio compositi, v. g. in homine est modus substantialis à parte rei distinctus à toto composito distinctione includentis ab inclusio: sed per te vnio compositi est vnitas: ergo vnitas distinguitur à parte rei tanquam modus essentialiter constituens ipsum.

173 Ut Respondeat Hurtado huic argumento sic ait [Adverte, quando dicimus rem esse vnam, significari totum compositum rei, & in illo non esse divisionem, sed omnes partes eius aliquomodo esse vnitas, v. g. homo est vnus, quia in toto conceptu hominis non est divisio nempe neque inter materiam, neque inter formam, & vnionem; contra vero est evidens argumentum probans partes habere vnitatem distinctam à punctis, quia illæ partes præcis punctis sunt singulares: ergo habent indivisionem in alias partes quæ sunt idem adæquate cum illis, quapropter dicendum vnitatem compositi esse idem adæquate cum toto composito, v. g. vnitas hominis est idem adæquate cum vnitatibus materia, formæ, & vnionis, & suppositorum, reduplicative autem vnitas totius compositi, in quantum totius realiter distinguitur à toto composito, & eius vnitate, quia illa reduplicatio appellat supra solam vnionem, quæ est ratio formalis compositi, in quantum compositi, itaque si cum proportionem sumatur ens, & vnum, vbique ratione tantum distinguitur, nempe vnitas vnionis ab entitate vnionis; at vero non qualibet vnitas sola ratione distingui à quolibet ente.]

Sed hæc solutio mihi maxime displicet, quia confusionibus, æquivocationibus, & falsitatibus plena est, & sic oppugnatur.

174 Primo, quia vel in ente composito vnitas est eius indivisio, & vnio, vel est aliud distinctum ab vnione; hoc secundum non potest dici, quia est contra te ipsum, & tuam rationem, quam *disp. 4. subsect. 2. sect. 1. sic efformasti*: [Secundo probatur in ente composito, cuius indivisio est formaliter vnio: ergo indivisio est conceptus positivus: ergo vnitas est positiva, quia est indivisio. Confirmatur, carentia vnionis formaliter est divisio partium: ergo vnio est formaliter non divisio partium: patet consequentia, quia vnio, & carentia illius præstant contradictorios effectus: sed carentia vnionis facit rem formaliter divisam: ergo vnio facit rem formaliter non divisam, unde vnam] & sic *§. Si igitur in fine, sic ais* [unde res est vna per vnionem suarum partium] & *§. 2. deducitur, sic ais* [composita enim non sunt tam vnum, quia pluralitatem includunt partium quæ faciunt compositum vnum per vnionem] itaque in tua sententia vnitas compositi est vnio seu compositio illius.

175 Sed vnio distinguitur à parte rei à toto: ergo vnitas transcendentalis distinguitur à toto cuius vnitas est à parte rei, quod est contra omnia tua principia; nam tu asseris contra Scotum nullo modo distingui vnitatem transcendentalem à re cuius vnitas est, ex natura rei formaliter, etiam si talis distinctio petat identitatem realem cum re, ut asserit Scotus: sed vnio compositi sine vlla identitate cum composito distinguitur à parte rei

Quæst. II. Quid addat Vnum supra ens. 249

rei ab illo formaliter: ergo tam magis concedis, quam Scotus, & sic tibi manifeste contradicis. Deinde *disp. 4. de unitate reali, sect. 1. tota subsect. 1. & præque n. 8. §. displicet acriter*, inuheris in Patrem Vazquez, non quia concesserit distinctionem à parte rei, sed quia solum affirmat unitatem transcendentalem distingui per rationem adequatam ab ente cuius est attributum, cuius oppositum efficacissima ratione meo videri demonstras, sed asserendo nunc vnionem compositi esse vnitatem transcendentalem illius, concedis non tamen minimam distinctionem, ac concedit Pater Vazquez scilicet per rationem, sed potius concedis absolutam distinctionem à parte rei, quare sine dubio incidis in illam, cupiens vitare caribidum. Vnde si tua argumentatio vrget, ac præmit Patrem Vazquez, te non solum præmit, sed deprimit, labefactat, & iugulat: quomodo enim *(sect. 2. eiusdem disputationis, §. difficultus)*, alle- ris difficillime posse à te probari distinctionem rationis vnitatis ab ente ratione; cuius videris inclinari in sententiam, quæ docet vnitatem esse ipsam essentiam entis: si nunc concedis vnitatem non solum distingui per rationem, sed etiam à partem ab ente, cuius est attributum, quia in *physisca disp. 4. de compositis, sect. 1. & 2. asseris*, & probas vnionem compositi distingui à parte rei distinctione excludentis ab excluso à partibus; distinctione autem reali inclusi ab includente à toto: sed tu in hac disputatione metaphysica asse- ris talem vnionem, & compositionem esse vni- tatem compositi entis: ergo nunc concedis ma- iorem distinctionem, quam antea negabas; quare cum minima distinctio nauseam tibi pareret, an- tea nunc sine ulla nausea maximam, & veram di- stinctionem deglutis: ergo tibi aperte contradicis.

176 Nec valet dicere vnitatem compositi esse idem cum vnitatibus materiæ, formæ, vnionis, & sup- positum, quia vnitates materiæ sunt vniones in- ter suas partes, & vnitates formæ, etiā sunt vniones partium formæ, si forma materialis est, etsi spi- ritualis, sua essentia simplex, & vnitates compositi est vnio inter materiam, & formam: ergo vnitates adequatas totius compositi sunt omnes vniones tam partium materiæ, quam partium formæ, & vnio materiæ ad formam: patet consequentia, quia per te vnitates totius adequatas sunt omnes vnitates materiæ, formæ, & vnionis: sed per te vnitates materiæ, formæ, & vnionis sunt vniones materiæ formæ, & partium vnionis: ergo vniones earum adequatas sunt vnitates compositi: sed vnitates compositi, seu vniones partium materiæ, distin- guuntur à parte rei à materiæ, & vniones par- tium formæ distinguuntur à parte rei à forma: item vnio materiæ, & formæ distinguitur à par- te rei à materiæ, & à formæ, & à toto composito, itaque omnes simul vniones tam inter materiam, & formam, quam inter partes materiæ, & partes formæ distinguuntur à parte rei à toto composito, quia compositum supra omnes vniones addit omnes partes materiæ, & formæ, quæ non sunt vniones: ergo si vnitates adequatas compositi est totalis vnio, seu omnes vniones repertæ in com-posito, simul sumptæ: ergo vnitates transcendentales adequatas compositi distinguuntur à parte rei à toto composito, sicut vnitates materiæ primæ quæ sunt vniones illius distinguuntur à parte rei à ma- teria prima, quia addit materia omnes suas par- tes supra omnes suas vniones, quæ minime sunt vniones.

R. P. Ildaph. de Peñañiel, Theol. Schol. Tom. I.

Item proportionali modo contingit in homi-
ne, cuius vnitates adequatas per vos est entitas
simplex animæ rationalis, & omnes vniones in-
ter materiam, & formam, & inter omnes partes
materiæ: atqui entitates formæ rationalis, & vnio-
nes omnes simul sumptæ distinguuntur à parte
rei à toto; quia totum includit illas realiter, &
præter eas addit omnes partes materiæ primæ,
quæ non sunt vniones, neque sunt entitates animæ
rationalis: ergo vnitates adequatas totius distin-
guuntur à parte rei, à re cuius est vnitates, itaque
etiā si cum proportionem sumantur vnitates, di-
stinguuntur ab ente, nam quæ maior proportio
potest dari quam ea quæ datur in vnitates mate-
riæ cum materia, & vnitates formæ cum forma,
& vnitates totius cum toto: sed adhuc in hac
propositione vnitates materiæ (quæ sunt omnes
vniones inter suas partes) distinguuntur realiter
à materiæ, & vnitates formæ corporeæ à sua for-
ma, & vnitates totius à toto: ergo omnes vnitates
distinguuntur à re cuius vnitates est; si vnitates est
vnio: ergo vnitates totius non sunt eius vniones:
ergo aliud non aliud positivum; vt probatum est;
ergo negativum.

Neque obstat dicere quod ait Hurtado, nimi-
rum quod quando dicimus rem esse vnam signi-
ficari totum compositum, non enim hoc obstat,
concedo enim vnum in concreto denotare totum
compositum, sicut album in concreto, & vnitum
seu compositum, dicit totum hominem, & risibi-
le similiter, & nihilominus risibile, aut vnitum,
aut album, non sunt attributa illorum entium,
quia risibilitas, vnio, & albedo in abstracto di-
stinguuntur realiter à concretis: ergo similiter
licet vnum in concreto dicat totum compositum
vnum, non erit attributum, quia vnitates in ab-
stracto distinguuntur realiter à composito; atqui
nullum attributum etiam in abstracto distingui-
tur realiter à re cuius attributum est, vt patet ex
tuis verbis supra citatis, & ideo bonitas, nec ve-
ritas distinguuntur realiter ab ente: ergo ne hæc
absurda sequantur, non debet dici quod vnitates
sit vnio aut aliquid positivum: sed negatio di-
visionis.

Dices vnitatem Angeli, & rei simplicis non
esse essentiam Angeli, sed potius simplicitatem
illius, quod est secundum membrum supra sub
distinctione positum.

Sed contra, quia per te simplicitas est negatio;
ergo iam vnitates consistit in negatione, & non
in positivo: antecedens sic patet ex tuis verbis,
quæ sic profert *disp. 4. de unitate, sect. 1. §. sicut er-
go, num. 2.* sicut ergo res, inquis, simplices, &
actuales significamus per negationem composi-
tionis, quia negatio quam dicit simplicitas, est
vera negatio, quia contradictorie opponitur par-
tibus, & compositioni quæ sunt conceptus posi-
tivus, & quod contradictorie opponitur concep-
tui positivo, est negatio.

Confirmatur, & explicatur in entibus sim-
plicibus, in quibus perfectior videtur esse vni-
tas, imo ipsa simplicitas videtur esse maxima vni-
tas, vt tu asseris: sed simplicitas de formali non
dicit rationem positivam, etiam sola ratione di-
stinctum ab ente simplici, & à perfectione quæ
in ratione entis, seu talis in eo concipitur, adeo
vt etiam in Deo iuxta probabiliorum Theologo-
rum sententiam simplicitas vt sic nihil addat
Deo perfectionis, etiam secundum rationem
supra perfectionem summæ actualitatis eius, in

fi qua

qua negatio illa fundatur, quam simplicitas exprimit: ergo multo minus vnitas vt sic potest dicere rationem positivam.

181 Secundo, quia per te vnio, & compositio est vnitas compositi: atqui per te in re simplici, vnitas illius est eius simplicitas, quæ est negatio contradictoria compositionis: ergo vnitas transcendentalis, in varijs inferioribus non constituitur eisdem rationibus formalibus contractis, sed potius maxime contradictorie oppositis; quod falsum probavi supra, quia quando aliquid attributum convenit inferioribus ratione superioris, &c. Videte ergo, nec vnitas compositi est vnio, nec vnitas simplicis est simplicitas.

182 Et amplius demonstratur, quia vnitas vt sic, quæ est attributum entis vt sic, est ratio abstracta ab unitatibus rerum simplicium, & rerum compositarum, quia tota latitudo entis æqualiter dividitur in entia simplicia, & composita: atqui si vnitas entis simplicis esset simplicitas, quæ est negatio compositionis, & vnitas compositi esset compositio, non posset abstrahi vnitas vt sic; vnde non daretur attributum entis vt sic, quia vt dixi attributum entis vt sic, quæ est vnitas in communi est ratio præcisa ab omnibus unitatibus particularibus, sicut ens vt sic, nil aliud est quam ratio abstracta ab omnibus entibus particularibus: sed summum absurdum est dicere, quod non detur vnitas vt sic, quæ est attributum entis: ergo summum absurdum est id ex quo sequitur illud.

183 Illa minor sic probatur, quia à positivo, & negativo, & à duobus contradictorijs, non potest abstrahi ratio communis vt sic, quia cum immediate, & maxime opponantur contradictorie, nihil datur in illis convenientia: vnde nullum fundamentum datur in illis abstrahendi, siquidem totum fundamentum abstrahendi est convenientia: sed simplicitas quæ est vnitas rei simplicis, est negatio, & contradictorium compositionis, quæ est positivum: ergo ab illis non potest abstrahi ratio unitatis vt sic.

184 Verge, & demus quod præscindatur ratio unitatis vt sic, à negativo, & positivo: illa ratio abstracta nec esset negativa, nec positiva, sicut animal quod abstrahitur ab animali rationali, & irrationali, nec est rationale, neque irrationale; imo in vniversum omnis ratio præcisa ab inferioribus, nec est vnum, nec aliud illorum, quia est extra differentias illorum: sed vnitas vt sic abstrahit à positivo, & negativo: ergo neque est positivum nec negativum vnum, quod est attributum entis vt sic: atqui per te vnum vt sic est positivum: ergo tibi ipsi repugnas.

185 Sed vltimo demus unitatem esse negationem simplicitatis, id est oppositam simplicitati contradictoriæ, quod his verbis asserit Hurtado, sicut ergo res simplices, & actuales significamus, per negationem compositionis; ita unitatem significamus per indivisionem cui opponitur, quia vero vnitas contradictorie opponitur divisioni; divisio autem non est conceptus positivus, sed est carentia formalis vnionis; ideo vnitas est conceptus positivus, qui est indivisio: explicans autem paulo post, quid sit ista negatio carentiæ vnionis, quæ indivisio est, sic ait. Ita non posse dividi est non posse carere vnione, quia posse dividi est posse carere vnione, & non dividi est habere vnionem, quia dividi est illa carere, & posse carere vnione, & illa carere

sunt termini privativi, ideo non dividi est terminus positivus contradicens dividi; vnde res est vna per vnionem suarum partium: ergo simplicitas ex tuis verbis quæ supra adduximus, est vera negatio compositionis, quæ vnio est, & vnitas est negatio divisionis, & divisio est negatio compositionis, vt tu ais verbis nuper adductis: ergo vnitas est negatio negationis compositionis, & ideo est positivum conceptus: ergo est ipsa vnio, quæ compositio est, quod tu ingenue fateris: ergo Deus qui summe vnus est summe compositus est, & Angelus qui habet unitatem compositionem habet: ergo non sunt simplices entitates Deus, & Angelus, quod est hæresis manifesta ex parte Dei.

Deinde: ergo ens non est vnum, quia ens vt sic 186 non est simplex; sed abstrahit à simplici, & composito.

Præterea, ergo iam dantur quinque attributa 187 entis; nam per te datur vnitas, quæ est opposita simplicitati, & datur bonitas, & veritas: sed possunt etiam alia esse, id est negatio veritatis, & negatio bonitatis; nam non est maior ratio quare negatio simplicitatis sit attributum, & negationes illorum attributorum non sint attributa; imo si istæ negationes non sunt duo attributa, nec indivisio vnitas erit, quia indivisio est negatio alterius attributi, sicut duæ à me assignatæ.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta Adversaria solvuntur.

Ad primum argumentum Respondeo distin- 188 guendo antecedens, multitudo cui opponitur vnitas Dei vltimo, & formaliter est negativum, nego antecedens; fundamentaliter, hoc est ratio fundandi formalitatis multitudinis; concedo; nam in multitudine duo dantur, vnum tanquam vltima ratio formalis, quæ nihil aliud est quam relatio divisionis, quæ resultat inter partes alicuius rei divisas, & separatas, & hæc vocatur vltima formalitas, quia vltimo advenit supra partes multitudinis, vt postremo compleat capacitatem aut potentialitatem talis multitudinis, ita vt post illam nihil ulterius adveniat, quod possit determinare, seu denominare multitudinem, secundum quod divisa est; præter hanc relationem datur in multitudine negatio ipsa, per quam caret res vnione, aut identitate respectu alterius, & approximatione respectu ipsius, & hæc est ratio fundandi ipsam relationem divisionis, quia posita tali divisione, seu carentia in entitatibus resultant relationes divisionis in illis; vnde talis negatio potius vltimæ formalitatis proximum fundamentum debet dici, quam vltima formalitas, v.g. in Patre datur duplex formalitas, alia vltima omnium, alia non vltima; vltima formalitas est relatio paternitatis, quia vltimo advenit supra generantem, vt denominet illum, & determinet ipsum, constituatque eundem vltimo, & formaliter in esse patris, quod adeo verum est, vt post talem paternitatem, nihil adveniat generanti, quod vltimo, & formaliter intrinsece denominet ipsum; præter hanc relationem datur in generante alia formalitas, quæ est ratio fundandi paternitatem, & hæc potius fundamentum proximum vltimæ formalitatis, quam vltima

Quæst. II. Quid addat Vnum supra ens. 251

ultima formalitas dicitur. Vnde comparata hæc cum paternitate dicitur materiale Patris; paternitas autem ultimo adveniens generanti & fundata in tali generatione dicitur formalitas simpliciter: unde Pater, & non Pater, aut Pater, & Filius formalissime non opponuntur secundum generationem, sed potius secundum relationes, aut secundum negationem, & relationem: sed per vos unitas ultimo, & formalissime opponitur multitudini: ergo opponitur ultimæ formalitati multitudinis, sed hæc non est negatio, sed positiva ratio, quæ fundatur in tali negatione: ergo unitas formalissime non negationi, sed positivo opponitur, quia multitudo ultimo, & formalissime concepta cui opponitur unitas non est negatio, sed relatio divisionis.

189 Ad probationem antecedentis distinguo maiorem, est impossibilis in tota latitudine entis, nego maiorem; respectu Dei, & applicata Deo, concedo maiorem; nam Deus ideo est unus, quia negat in se habere divisionem inter partes, & inter prædicata absoluta, sicut habet inter relationes, & sicut habet acervus lapidum inter suas partes; itaque omnem illam divisionem quæ à parte rei datur, negat inter sua constitutiva absoluta, itaque negat se habere similem divisionem ac habet acervus rerum, & se habere in suis absolutis, ac se habet in relativis; nam si Deus inter absoluta prædicata haberet divisionem aut distinctionem eo modo quo habet inter relationes, aut eo modo quo acervus lapidum, sine dubio non haberet unitatem absolutam, sed potius divisionem in seipso, sicut habet divisionem in relationibus: sed divisio quæ datur inter relationes divinas, & quæ datur inter partes ternarij hominum, aut quaternarij, & quas negat Deus habere in seipso secundum se non sunt impossibiles, sed potius maxime possibiles; imo actu existentes, & in divinis relationibus necessario existentes, quæ divisiones quia in seipsis in tota latitudine entis non sunt impossibiles, nec solum possibiles pure, sed potius existentes sunt positivæ: ergo indivisio quæ per vos opponitur contradicторie ultimæ formalitati divisionis, non debet esse positiva; quia quando vnum contradicторium vii est divisio est positivum, alterum contradicторium debet esse negativum: ergo indivisio quæ est alterum extremum oppositum divisioni ultimo ac formaliter, quæ positiva est, debet esse negatio.

190 Licet autem hæc divisio quæ negat Deus in se, sit in latitudine entis possibilis, & actualis, ac proinde positiva; nihilominus tamen impossibilis omnino Deo est, quia impossibile est quod Deus habeat divisionem in se, & in suis prædicatis absolutis, sicut habet in relationibus: sed hoc ideo est, quia indivisio, quam habet Deus est negatio, & non privatio; negatio enim ut distinguitur à privatione petit necessario ut forma quam negat in subiecto, sit impossibilis, quia negatio est carentia formæ in subiecto incapace, & inepto ad recipiendam formam, cuius carentia datur in tali subiecto, v.g. in lapide datur negatio visus, & sic visus respectu lapidis est impossibilis; quapropter talis carentia, non est privatio, sed negatio: contra vero tenebræ in aëre non sunt negatio sed privatio lucis, quia aër non est incapax lucis, sed potius capax illius, & sic est subiectum aptum ad recipiendam lucem, & sic lux est possibilis aëri, & non impossibilis, quia negatio seu carentia lucis in aëre est privatio, itaque forma, quæ

R. P. Ideph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

opponitur negationi est impossibilis subiecto in quo datur talis negatio, & nihilominus, quia talis forma secundum se non est impossibilis, licet sit impossibilis tali subiecto, quia ipsum est incapax talis formæ non definit illa forma esse positiva secundum se, ac proinde carentia illius non definit esse proprie ac formaliter negatio: ergo si divisio cui opponitur in Deo indivisio, licet sit impossibilis Deo; nihilominus in tota latitudine entis est possibilis, & secundum se est positiva; quare quando existit, v. g. inter divinas personas, inter partes numeri ternarij positiva ratio est: ergo talis indivisio, quæ est carentia illius divisionis, non definit esse negatio: sed potius propriissime erit vere, & formaliter negatio.

Exemplum ponamus manifestum, Deus quatenus distinguitur à creatura formalissime dicit distinctionem ab illa; & distinctio in sententia adversariorum, est formaliter negatio existens in Deo; quæ negat identitatem cum creatura; hæc autem identitas licet Deo sit impossibilis, quia tamen secundum se est positiva formalitas, non dicitur impossibilis simpliciter, quia vere, & realiter à parte rei datur identitas alicuius prædicati cum creatura, v. g. ratio substantiæ in Angelo identificatur cum eo, quatenus creatura, & hæc identitas est positiva ratio, & possibilis simpliciter, licet sit impossibilis Deo eo modo quo datur inter substantiam, & Angelum: sed quia in tota latitudine entis non est impossibilis, ideo non definit esse positiva, ex eo quod sit impossibilis Deo, alias si ex eo quod identitas esset impossibilis Deo esset negatio distinctio Dei à creatura, quam dicitis esse negationem, non esset negatio, sed positivum quia opponitur identitati: sed quando vnum oppositum immediatum est impossibile, alterum oppositum non est negatio, sed positivum: ergo si identitas Dei cum creatura, ex eo quod sit impossibilis Deo absolute diceretur impossibilis, sine dubio esset negatio, ut in nostro casu dicitis de pluralitate, cui opponitur unitas Dei, ac per consequens distinctio Dei, quæ opponitur tali identitati, impossibilis esset positiva ratio, & non negatio; sed per vos est negatio formalissime: ergo identitas cui opponitur immediate, est positiva ratio: atqui talis identitas cum creatura est impossibilis Deo: ergo licet aliqua formalitas sit impossibilis Deo, potest esse secundum se possibilis, & positiva in tota latitudine entis, quod sufficit ad hoc ut carentia, quæ datur formaliter in Deo, sit negatio; imo quia negatio est distincta à privatione, petit ut opposita forma sit impossibilis Deo, quia si talis carentia non esset negatio, sed privatio forma opposita videlicet identitas cum creatura esset possibilis Deo; quia privatio est carentia in subiecto apto nato recipere formam, cuius carentia est in illo.

Amplius declaro hoc, quia licet hoc totum Deus 191 idem cum creatura, seu vna entitas, quæ sit simul Deus, & creatura sit chymera, & impossibilis, nihilominus quia distinctio Dei non opponitur immediate toti huic concreto, sed solum identitati inter Deum, & creaturam, removendo illam à se, tanquam impossibilem sibi (ita ut Deus dicatur distinctus à creatura, quia negat in se identitatem positivam cum creatura; nam si interrogaremus à Deo, cur sit distinctus ab ente creato, responderet, quia à se removel tanquam impossibilem sibi identitatem cum ente creato similem illi, quam habet gradus substantiæ cum Angelo, quatenus

fi 2 quatenus

quatenus creatura est) & hæc identitas, seu conceptus identitatis secundum se est positivus, ideo formalis distinctio in Deo est negatio.

- 192 Quod autem immediate Deus non neget hoc concretum Deus simul, & creatura, seu entitatem, quæ simul sit idem cum creatura, patet manifeste, quia ut sit tale concretum, necesse est ut identificetur Deus, & creatura, & uniantur inter se per unionem identitatis: atqui Deus remouet, & negat à seipso identitatem cum creatura, & omnino repugnat talem identitatem habere: ergo immediate, & primario non negat illud concretum, sed solum identitatem, quæ est prior, ut ita loquar, tali concreto; itaque nos fingimus identificatum Deum cum creatura, & asserimus seu concipimus Deum opponi tali concreto, quod non ita contingit, quia ad tale concretum præsupponitur identitas, unde talis identitas est suo modo prior tali concreto, ac proinde quod immediate, & primo negat Deus, non est illud concretum, sed identitatem cum creatura, ut resalter tale concretum, secundario & aliquo modo potest dici Deum per distinctionem opponi concreto illi omnino impossibili, quod non obstat ut distinctio quæ est in Deo, sit negatio formaliter, quia quod primario negat, est identitas, quæ secundum se, & in tota latitudine entis est positiva, ut iam explicui.

- 193 Tunc sic, etiam unitas Dei opponitur positive divisioni, quæ secundum se, & in tota latitudine entis reperitur positiva, ac proinde in tota illa latitudine non est impossibilis, ut late supra explicui: ergo licet sit impossibilis Deo, non ideo unitas formaliter quatenus indivisio est, desinet esse negatio.

- Item simplicitas divina dicit negationem compositionis in Deo, id est expellit à Deo, & remouet ab ipso similem compositionem illi, quæ datur in creatura, quia vero compositio secundum se, & in tota latitudine entis est positiva, & non negativa, licet sit impossibilis Deo, non ideo erit negativa, neque ideo desinet esse negatio illa carentia partium, quæ datur in Deo, excludendo illas, & compositionem inter ipsas.

- 195 Tunc sic, totum hoc concretum, Deus compositus est chymera, ac proinde simpliciter impossibile, & nihilominus negatio quam dicit simplicitas Dei non desinit esse negatio, quia primario non opponitur Deus, quatenus simplex compositio Deo, sed potius compositioni quæ secundum se est positiva, & quæ est prior composito negativo: ergo aliqua carentia in Deo non desinit esse negatio, ex eo quod concretum cui secundario opponitur, sit chymericum; dum tamen formalitas cui immediate, & primo opponitur, licet sit Deo impossibilis in tota latitudine entis, sit positiva, & possibilis, quia talis negatio, ita datur in Deo, ut remoueat ab ipso talem formalitatem, quæ si daretur in ipso positive constitueret Deum, quia secundum se est positivus conceptus, & in tota latitudine entis dantur aliæ formalitates similes illi, quam negat Deus, & quæ secundum se sunt positivæ.

- Atqui unitas seu indivisio formaliter Dei non 196 immediate opponitur huic concreto pluralitas, seu multitudo Deorum: sed potius negat immediate divisionem in se similem illi, quæ datur inter relationes divinas, quæ secundum se est positiva, & quæ si daretur in Deo positive divideret ipsum: ergo talis indivisio non est positiva ratio, sed potius negatio formaliter, etiam si divisio illa

quæ secundum se est positiva, cui opponitur unitas Dei, sit impossibilis Deo; imo, quia unitas seu indivisio Dei non est privatio: sed negatio debet habere pro immediato sibi opposito terminum impossibilem subiecto, in quo est talis negatio; unde supposita hac solutione absolute negatur maior illa argumenti, scilicet quod multitudo, seu pluralitas Dei seu Deorum, aut plures Dij sint, cui immediate opponitur unitas Dei, cum hoc sit falsum; siquidem ut iam dixi, immediatum oppositum unitatis, non sit nisi indivisio, eo modo, quo explicui: quare in eo videri evidenter solum est argumentum primum, quod nullius valoris est, quia non solum est contra nos, sed etiam contra adversarios indistinctione, & simplicitate Dei; quare quod ipsi responderint ad distinctionem Dei, quæ negatio est in Deo, id sine dubio respondebo ad unitatem Dei constituendo ipsam in negatione; nam sicut pluralitas Dei, vel Deorum est impossibilis; sic similiter entitas quæ simul sit Deus, & creatura per identitatem, cui opponitur distinctio Dei, sicut unitas opponitur pluralitati est impossibilis, sicut ipsa pluralitas, & idem est in simplicitate Dei respectu Dei compositi: ergo eodem modo debes solvere tuum proprium argumentum in distinctione, & simplicitate Dei, sicut nos debemus respondere illi in unitate ipsius.

Ad confirmationem distinguo antecedens, divisio, & separatio fundamentalis, concedo antecedens, divisio, & separatio ultima, & formalis, nego; quia est relatio ut supra diximus: unde indivisio formalis quæ immediate opponitur divisioni formali positive primario est negatio, ut supra probavimus.

Ad secundum concedo maiorem, & nego minorem, ad probationem minoris distinguo maiorem, negaret in actu exercito, nego, in actu signato concedo, explico solutionem, illa enim negatio quæ ponitur pro attributo entis ut sic, non est ut exercetur in ipso ente, & ut ipsum ens in exercitio actuali neget positivum cui opponitur, ita ut excludat realiter tale positivum, quia hoc non potest esse, quia positivum ut sic, seu ens ut sic includit omnem conceptum positivum, & sic est omne positivum conceptum per modum unius: unde pro ut sic non potest negare, & excludere in exercitio, & in executione aliquod positivum, quia talis exclusio seu exercitium negationis non exercetur in ente ut sic: sed exercetur in vnoquoque ente particulari, in quo unitas ipsius excludit positivam divisionem realem à sua entitate, quod optime fit, & optime exercetur in vnoquoque, quia vnumquodque positivum non est omne positivum, & sic bene potest negare realiter, & in actu exercito, & excludere à se aliud positivum: sed e contra, ens ut sic includit omne ens reale positivum, quia illud non est aliud secundum subiectum, & secundum realitatem illius, nisi omnia positiva entia cognita sub ratione convenientiæ: ergo à seipso secundum subiectum, & realitatem, non potest excludere actualiter aliquod positivum, alias esset, & non esset positivum, quod est implicatorium: ergo talis negatio non reperitur in ente ut sic, ut exercetur in ipso, & ab ipso remoueat aliquod positivum: sed solum est in ente in actu signato, quatenus abstrahitur ab omnibus entibus particularibus ratio negationis, quæ exercetur in inferioribus, excludendo in vnoquoque realiter positivum oppositum ta-

Quæst. II. Quid addat Vnum supra ens. 253

li negationi, itaque negatio illa abstracta, & addita enti vt sic, signat id quod exercebatur in inferioribus; vnde in ente vt sic est sine actuali exercitio cum potentialitate ad illud, id est ostendendo se tanquam ratio communis, quæ potest contrahi ad inferiora, vt in ipsis exerceat vim quam habet, excludendo vnum positivum ab alio particulari, non autem ab ente vt sic, quia illud nullum positivum potest excludere à suo conceptu: ergo si vnitas vt sic, dicit negationem, quæ non potest se exercere in illo statu, quia exercitium debet habere in particularibus, entibus, ac proinde in statu illo præcisionis, solum est in potentia talis exercitij, signando capacitatem quam habet, vt in inferioribus se exerceat; manifeste sequitur negationem illam vnitatis non esse in actu exercitio in ente, sed potius in actu signato, exercendo vt sic, potius rationem oppositam illi exercitio, quod habebit aut habere potest in inferioribus, & sic in actu signato ita est, vt actu non excludat ab ente divisionem illam positivam, sed potius talis negatio est in tali conceptu entis vt sic, qui includit omnem conceptum positivum.

199 Exemplo manifestissimo declaratur hoc, ratio communis individui vt sic præcisa opposito modo, se habet ac quando est contracta; nam quando contrahitur, exerceat rationem incommunicationis, & excludit illam à se; vnde est incommunicabilis multis: posita autem in statu abstracto, se communicat actualiter pluribus quando actualiter contrahitur; vnde in actu exercitio prout est præcisa, est communis multis, & sic opposito modo se habet à se ipsa, vt est contracta, solum signando capacitatem quam habet vt contracta sit incommunicabilis pluribus, & hoc non est proprium huius vel illius rationis communis, sed omnium: vnde vivens vt sic, quatenus vt sic præcissum, non vivit in actu exercitio, sed solum signat capacitatem quam habet vt in particulari, secundum exercitium vivat.

200 Item intellectio vt sic abstracta ab intellectio- nibus particularibus in illo statu prout sic, dicitur non intelligere in actu exercitio, quia in illo statu non est secundum conditiones cognoscendo actualiter; vnde in illo statu præciso opposito modo, se habet ac in statu contracto, solum signando id quod facit, aut facit in statu contractionis, & sic diximus intellectionem vt sic in actu signato esse intellectionem, non autem in actu exercitio.

201 Sed vnitas vt sic, seu negatio divisionis præcisa ab omnibus vnitatibus, & addita enti vt sic, est ratio communis, & non contra in inferioribus: ergo solum erit in actu signato; signando solum id quod in statu contractionis facit, hoc est expellendo, & negando ab vno ente particulari positivo, aliud positivum oppositum tali negationi; quare sicut vnaquæque negatio non excludit ab omni ente positivo aliud positivum ens, quia hoc est impossibile, alias non esset omne ens; ita similiter ab ente vt sic, quod est omne positivum, non potest excludere aliquod ens positivum: sed solum in tali statu, ita se habet vt solum sit, vt quædam ratio quæ in inferioribus excludit sibi oppositum, quia in inferioribus est in statu capaci ad actuale exercitium excludendi, cuius non est capax in communi, & ideo licet ab vnoquoque particulari propria vnitas excludat positivum, quia distinguitur ab illo, & non in-

cludit omne positivum, in statu autem abstractionis non potest ab ente vt sic excludere aliquod positivum, quia est omne positivum; vnde in tali statu solum significat id quod quando est in statu contractionis exerceat, vt iam dixi: ergo nostra solutio optime procedit de actu signato, & actu exercitio.

Ex qua solutione colligitur, ens vt sic per illam negationem non distingui realiter ab aliquo ente positivo, quia sicut negatio illa non signat in ente actualem exclusionem, sed solum potentialem, ita non signat in actu exercitio distinctionem quam exerceat ens respectu alicuius positivi distincti à se, sed solum signat id quod vnumquodque ens particulare potest, & actu exerceat distinguendo se ab alio ente positivo particulari; Vnde totum hoc argumentum in mera æquivocatione consistit, innitente in confusione, & commixtione actus signati cum actu exercitio negationis, & arguendo ab eo quod exerceat in vnoquoque inferiori ad id quod neque exerceat, nec potest exerceat in actu signato, respectu entis vt sic; vnde mala argumentatio. Exemplo manifesto convincitur hoc, quia albedo, & nigredo, frigiditas, & calor opponuntur, & conveniunt tam in esse qualitatis, quam in esse oppositionis, ab illis abstrahitur ratio qualitatis vt sic, & ratio oppositionis contrariæ vt sic, interrogo à te, an illa ratio oppositionis vt sic, exerceatur respectu alicuius, vel non; si non exerceatur, habeo intentum, cuius ratio non potest esse alia, nisi quia est ratio communis, quæ vt sic non est in statu exercendi oppositionem, sed potius exercendi vnitatem, & convenientiam, quia in illo statu non est cui opponatur, & respectu cuius exerceat suam oppositionem, quare talis ratio est id quod in statu contractionis opponitur alteri distincto à se ipsa, & sic in statu præcisionis se habet ratione talis status opposito modo, ac se habet in statu contractionis.

Si autem illa oppositio vt sic exerceatur in illo statu præcisionis: ergo qualitas vt sic abstracta ab albedine, & nigredine opponitur realiter respectu alicuius, & distinguitur realiter ab illo: sed non est aliud cui opponatur, quia in illo statu non est nisi vnus conceptus indivisibilis qualitatis vt sic, & ille respectu sui ipsius non potest opponi realiter: ergo falsum est dicere, quod qualitas vt sic abstracta ab albedine, & nigredine, &c. exerceat oppositionem in actu exercitio in statu præcisionis; solum enim in tali statu significatur vel significatur per illum conceptum abstractum id quod in statu contractionis exercebitur, aut poterit exerceri.

Sic similiter in nostro casu, negatio illa abstracta ab vnitatibus particularibus, non exerceatur in statu abstractionis in ente vt sic, respectu alicuius entis particularis, quia ens vt sic, nullo modo potest opponi realiter, & negare realiter per talem negationem aliquod positivum, alias seipsum negaret contradictorie, siquidem ens vt sic est omne ens, ac proinde affirmat omne ens: ergo si negat aliquod ens, datur in eodem ente affirmatio omnis entis, & negatio alicuius entis simul: sed talis affirmatio & negatio sunt contradictoriæ, sicut omnis homo est animal, aliquis homo non est animal: sed non possunt verificari illæ duæ contradictoriæ: ergo supposito quod in actu exercitio affirmat omne ens, non debet in actu exercitio negare aliquod ens: ergo illa nega-

ratio unitatis abstracta ab omnibus unitatibus non negat in actu exercito, nec remouet aliquid ens particulare ab ente, sed solum signat illa negatio, & significat id quod in statu contractionis negationes particulares a particularibus entibus expellunt, & remouent, negando alia particularia entia, & ideo licet ens ut sic sit vnum, & licet unitas dicat negationem, non dicit illam in actu exercito, ita ut expresse neget in ente ut sic, & expellat ab illo aliquid positivum ens propter incapacitatem subiecti illius, sed solum est in ente ut sic in actu signato, significando non id quod exercet in ente ut sic, sed id quod potest exerceri in actu contractionis in vnoquoque ente particulari respectu alterius sibi oppositi. Unde argumentum innuitur æquivocationi, confundendo negationem in actu signato, cum negatione in actu exercito, supponendo id quod fallum est, scilicet negationem ut sic exercere suam vim in ente ut sic, nam ut vidimus, illa negatio seu indivisio ut sic non negat ab ente ut sic aliquid ens, sed solum signat in ente potentialitatem illius, quod in statu contractionis exercetur.

205 Sed supponamus non esse hanc veram solutionem, nihilominus assero argumentum esse nullius momenti, quia non solum contra nos est, sed etiam contra adversarios; nam ipsi asserunt distinctionem particularium omnium entium, esse negationem formalissimam: sed distinctio ut sic ab omnibus particularibus distinctionibus abstrahitur, quæ convenit enti ut sic, sicut convenit illi unitas ut sic, abstracta ab omnibus unitatibus particularibus, & sic ens ut sic dicitur indivisum in se, quia definitione significatur unitas ut sic, quæ illi convenit: præterea dicitur divisum à quolibet alio, quia propositione definitur distinctio ut sic, quæ convenit enti ut sic, quod tu cum omnibus Philosophis concedis, quia omnis conceptus in quo conveniunt omnia particularia entia, potest abstrahi ab illis, sicut abstrahitur ratio unitatis ut sic, veritatis, & bonitatis ut sic, propter illam convenientiam, quæ rationes ita abstractæ conveniunt enti ut sic, abstracto ab omni particulari ente, tanquam attributa: sed etiam particularia entia conveniunt realiter in ratione distinctionis: ergo abstrahitur ratio distinctionis ut sic ab illis, quæ convenit enti ut sic.

206 Tunc sic, illa distinctio ut sic est ratio distinctionis, & est negatio ut sic, per vos quæ afficit ens ut sic: sed illa negatio debet negare aliquid positivum, & debet constituere ens in esse distincti à positivo: ergo si est negatio seu distinctio realis, debet constituere ens in esse distincti realiter à positivo, cui opponitur: sed ens ut sic non potest distingui realiter à positivo reali, alias distingueretur realiter à seipso, & ab inferiori ente, quod est absurdum maximum: ergo distinctio ut sic, nec est distinctio realis, nec negatio realis. Ecce totum tuum argumentum factum contra nos, constituentes unitatem ut sic in negatione realiter, tum contra te dicentem distinctionem ut sic convenientem enti ut sic, esse negationem realem; quare sicut nos vrget in unitate, ita te vrget in distinctione, quare non solum à nobis solvendum est, sed etiam à te; quare id quod responderis illi loquendo de distinctione, respondebo ego loquendo de unitate.

207 In eo argumentum hoc de distinctione ut sic universalius est, quare si distinctio sit negatio, siue positiva ratio efficaciam habet; nam siue illa

constat in positivo, siue in negativo abstrahitur à distinctionibus particularibus cum ente ut sic, quod abstrahitur ab entibus particularibus, & affixa manet in ente ut sic, & nihilominus ens ut sic per illam non expellit aut distinguitur ab alio, quo ente positivo propter rationes supradictas, cuius nulla alia ratio potest reddi, nisi quia distinctio ut sic, quæ convenit enti ut sic, non convenit illi in actu exercito, quia non exercetur in ente ut sic, respectu alterius, sed solum in actu signato, signando id quod negationes particulares ad quas contrahitur distinctio ut sic, exercet in singularibus, quæ solutio, ut iam dixi, applicata argumento Adversariorum illi evidenter satisfacit.

Ad tertium argumentum Respondeo negando 208 antecedens; ad probationem antecedentis distinctionis, est ratio formalis ultima, nego non ultimam, concedo, ut patet ex supradictis; nam vno solum est fundamentum negationis, divisionis, & sic non est ultima formalitas divisionis, quia hæc est negatio quæ advenit supra unionem, ut iam late supra diximus; ad confirmationem patet ex dictis supra; nam carentia unionis non est ultimo, & formaliter divisio partium, quia hæc est relatio ut supra late probatur.

Ad ultimum argumentum nego antecedens, 209 ad probationem illius nego maiorem, & ratio est, quia licet Deus per suam ipsam essentiam sit simplex, nihilominus per suam essentiam non est vnus, sed solum per attributum quæ completur in tali esse per negationem formalem divisionis, de quo in probatione nostræ conclusionis late diximus, ubi demonstravimus simplicitatem Dei esse prædicatum essentiale ipsius, & unitatem esse attributum; ac proinde unitatem non debere esse ipsam simplicitatem omnino formalissimam; sed potius unitatem esse conceptum secundarium Dei, & sic negatione divisionis debere constitui, quia unitas Dei contrahit unitatem entis ut sic, quæ necessario dicit negationem, & non positivam formalitatem, ac proinde ipsa unitas contracta in Deo debet esse negatio ultimo, & formaliter.

Ad confirmationem illius argumenti, quæ incipit: Vrgetur, multitudo; Respondeo ut Divus Thomas respondet in contextu Arist. à nobis adducto, quo probavimus nostram conclusionem; Item videte Patrem Giliam lib. 1. tract. 3. c. 4. n. 3. de attributis Dei, ubi late, & bene respondet huic argumento, nos autem in præsentia sic respondemus illi, quod sicut ordine generationis prior est non solum natura, sed etiam tempore, in homine carentia visus, quam ipse visus, ordine tamen conceptibilitatis, & secundum rationem prior est visus, quam illius carentia; siquidem implicat nos cognoscere carentiam visus, quin prius noverimus ipsum visum, sunt enim ut inquit Sonzinas aliquæ privationes quæ immediate respiciunt subiectum, ut tenebræ, cæcitas, & alia huiusmodi, & hæc multoties antecedunt tempore ipsos habitus, aliarum vero privationes sunt, quæ respiciunt subiectum mediate, id est quæ præsupponunt habitum, seu formam in subiecto, huiusmodi est mors, & c. & hæc privationes necessario sunt posteriores tempore proprijs habitibus, & formis oppositis; ita igitur indivisio quasi ordine generationis, & executionis est prior ipsa divisione, & divisio secundum ordinem rationis & conceptum prior indivisio, ut docet Divus Thomas 5. met. lect. 8. & 11. part. 2. q. 1. art. 2. ad secundum.

Illud

Quæst. II. Quid addat Vnum supra ens. 255

111 Illud etiam dicas Patris Vasquez, licet aliquo modo concedamus, quia probabile est propter auctoritatem eximij Doctoris, nihilominus non ponitur secundum ipsius mentem, & sic non est contra Suarezum; nos autem quod potius dicimus est unitatē esse negationem relationis, id est divisionis formalis: unde argumentum non est contra nos, sicut nec contra P. Suarez ut diximus; quia ille non ait illam negationem esse multitudinis, quomodocumque, quod urget argumentum, sed formaliter terminatē per terminos positivos intrinsecos.

112 Secundum Dices, etiam non est accommodatum ad nos, nec secundum nostram sententiam, & sic nihil urget argumentum.

113 Ad ultimarum confirmationem, Respondeo unitatem recipere magis, & minus ratione fundamenti, non ratione formalitatis, & ita vnum ens dicitur magis vnum quam aliud, quatenus maiorem perfectionem, & minorem compositionem habet quam aliud, & sic unitas dicit maximam excellentiam, & perfectionem adhuc in divinis, ut asserit P. Suarez, non ratione suæ formalitatis, sed ratione positivi, in quo fundatur illa.

114 Similiter unitas dicitur fundare relationem identitatis, non ratione negationis, sed ratione positivæ convenientiæ & entitatis, cui adiungitur talis negatio; verum est quod ipsa negatio appelletur ratio fundandi, ut omnes asserunt, ad hoc autem ut unitas sit mensura utrumque debet includere positivum ut sit nota: negationem divisionis ut sit determinata.

QVÆSTIO III.

Quæ sit hæc Negatio, & cuius carentia.

SECTIO I.

Sententia Adversaria proponitur.

1 **P**RIMA sententia asserit Unitatem dicere formaliter negationem divisionis à se: sic P. Valencia, 1. p. disp. 1. q. 1. 1. puncto 1. Pater Gilius lib. 1. in primam partem tract. 3. cap. 3. n. 6. & probatur.

2 Primo in ea negatione formaliter debet consistere unitas transcendentalis, quæ magis opponitur divisioni illam destruenti, & constituenti primo, & per se multitudinem illi oppositam: sed divisio à se destruendo unitatem transcendentalem constituit primo, & per se multitudinem unitati oppositam; ergo, Maior est certa: Minor sic probatur; nam divisio rei à se destruit unitatem; deinde constituit multitudinem illi oppositam, quæ multitudo opposita unitati est multitudo rei, quæ una dicitur sub eodem nomine, & ratione: sed sola divisio rei à se constituit primo, & per se multitudinem rei sub eodem nomine, & ratione: ergo.

3 Secundo divisio primo, & per se opposita unitati est primo, & per se constitutiva multitudinis materialis: sed divisio in se non est constitutiva primo, & per se talis multitudinis: ergo non est primo, & per se opposita unitati transcendentali: sed unitas transcendentalis forma-

liter importat negationem eius, quod primo, & per se illi opponitur: ergo, Maior est certa: Minor sic probatur. Illa divisio primo, & per se est constitutiva multitudinis materialis, quæ cum sit corruptiva rei quæ erat una, non corrumpit ex se partes, vel partem aliquam rei, quæ per illam dividitur; sed divisio rei in se totius compositi materialis, non solum corrumpit ex se unitatem compositi, sed etiam destruit partem formalem unius, cum implicet ex natura rei corrumpi simpliciter unionem formæ materialis ad materiam, & illam in rerum natura persistere: ergo.

Tertio ideo in acervo lapidum est absolute lapidum multitudo, quia in illo eadem ratio lapidis est ipsa, & non ipsa, sub eodem nomine, & ratione ob eandem multipliciter quam habet in diversis lapidibus: verum quippe est in acervo eandem rationem lapidis in hoc lapide esse ipsam. Et in alio non ipsam, cum hic ab illo realiter distinguatur: ergo è contra, ideo absolute aliquod ens est vnum ens, quia in ipso eadem ratio entis est ipsa, & non ipsa respectu sui, & aliorum: ergo unitas transcendentalis primo, & per se formaliter dicit divisionem à se.

Secunda sententia est eorum, qui asserunt unitatem primo, & per se includere divisionem ab alio: sic Capreol. in 1. di. incl. 1. & multi alij, probatur.

Primo, quia illud dicit vnum formaliter primario, quod formaliter, & primario constituit ipsum: sed vnum formaliter, & primario constituitur per divisionem ab alio: ergo dicit illam negationem primario.

Secundo, illud quod includitur primario in ratione, & definitione unius, est primario de essentia, & formalitate illius, sed divisio ab alio includitur essentialiter primario in ratione, & definitione unius: ergo dicit illam primario, & formaliter. Minor sic probatur primo, quia definitio unius solet hoc modo fieri, est indivisum in se, & divisum à quolibet alio: ubi definitio illa includit divisionem ab alio: ergo secundo, quia non esse aliud à se est esse divisum ab alio: sed non esse aliud à se includit supradictam negationem primario: ergo. Hæc minor sic probatur, esse aliud à se, & non esse aliud à se, opponuntur contradictoriè: ergo aliquod ex illis oportet ut includatur primario in ratione formali unius: sed non includitur affirmativum; ergo negativum, &c.

SECTIO II.

Nostra sententia ponitur, & probatur.

SVBSECTIO I.

Prima Conclusio ponitur.

Negatio quam dicit formaliter Vnum, non est divisionis à se: hæc est communior Doctorum sententia, sic Eximius N. Doct. in met. tom. 1. disp. 4. sect. 1. P. Fonseca 4. met. cap. 2. omnes Thomistæ cum Divo Thoma 1. p. q. 1. art. 1. & 2. in corpore, & in met. lib. 5. c. 6. & 7. & 3. parte q. 1. & 2.

Probatur primo, quia negatio quam dicit formaliter